LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

271.76
Ob4i
1716
cop. 2

Rare Book & Special
Collections Library

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/institutionumado00ambr

INSTITVTIONVM AD OBLATOS S. AMBROSIJ PERTINENTIVM EPITOME

In Libros Quatuor diſtributa

CAROLI S. R. E. Cardinalis Tit. Sanctæ Praxedis Archiep. Mediol. iuſſu

EDITA.

MEDIOLANI,

Apud Dominicum Bellagattam.
M. DCC. XVI.

REIMPRIMATVR.

F. Dominicus Fælix Marinus S. T. M. & ProCommiſſarius S. Offitij Mediolani.

Carolus Franciſcus Curionus pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Cardin. Odeſcalco Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excell. Senatu.

CAROLVS
S. R. E. PRESB. CARD. TIT. S. PRAXEDIS
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI

OBLATIS

Salutem in Domino.

NVnc tandem Filij, quas iamdiu à nobis expectaſſe vos, vel potiùs expetiſſe ſcimus, Congregationis noſtræ inſtitutiones in manus veſtras editæ veniunt. Prodeunt illæ nunc quidem ex intimis animi noſtri ſenſibus in lucem, in ſinumque veſtrum rectà feſtinant. Veſtra iam intereſt, promptè eas excipere, libenter amplecti, diligentiſſimè obſeruare, atque in eo honore ſemper habere, quem & earum æquitas cum incredibili Eccleſiæ no-

ſtræ vtilitate coniuncta, & noſtra erga vos pietas, & fides veſtra, & veſtrum obediendi inſtitutum efflagitare videtur. Nam labor noſter, ac ſtudium, quod in hiſce condendis adhibuimus, irritum planè eſſet, & vos pręterea omni fructu, quem ex illis capere oportet, omnino careretis, Si vos operæ, ſollicitudinique noſtræ veſtris animis, ſtudijſque veſtris, haud reſpondeatis, haſque noſtras, quas vobis in præſentia offerimus inſtitutiones, toto pectore non amplectamini. Quare, ne id accidat vnquam, magnopere cauere debetis. Nam vt corporis humani conſtitutio abſque neruis, & compagis vinculorumque adminiculo cohærere, vimque ſuam conſeruare non poteſt; ſic ſocietatis huius corpus neq; ſtare, neq; contineri valet ſine certis quibuſdam inſtitutionum quaſi vinculis. Variæ quippe ſunt, ac multiplices animorum propenſiones, diuerſa ſtudia, atque mores. Quamobrem, niſi quibuſdam præceptorum ſanctionibus Collegia connectantur, & ad vnum finem dirigantur, ne quamprimum diſſoluantur, dirimanturque, periculum eſt. Illis enim voluntatum varietas, ſtudiorum diuerſa ratio, morum diſſimilitudo temperatur; diſperſa colliguntur; diſſipata colligantur; multa demum vnum efficiuntur. Cum omnes autem, qui ſe in aliquam ſocietatem aggregarunt, magnam adhibere oporteat diligentiam, & curam, ad eius ſocietatis leges cognoſcendas, atque obſeruandas, tum vos id maximè

ac

ac diligentiſſimè facere omnino debetis. Magna enim principiorum eſt vis, ac latiùs emanans, ſeque in omnem partem innata quadam facultate diffundens. Atque vt ab radice arbor, & à fonte effluunt riui: ita ſuis principijs cętera quoque omnia reſpondent. Cum igitur huius Congregationis vos ipſi primordia, & quaſi primitię ſitis; illud in animum planè inducere debetis, & quaſi altiùs figere, veſtrum hoc in genere exemplum plurimum eſſe momenti, non ſolum apud præſentes, ſed apud poſteros etiam habiturum: in eamque propterea toto pectore curam vobis eſſe incumbendum, vt quam optimum, atque præſtantiſſimum ſit exemplum iſtud veſtrum. Vos eſtis Filij tanquam Ciuitas in altiſſimo monte ſita, & oculis omnium expoſita. In vos præſens hominum ætas, in vos Poſteri animos, menteſque conuertent. Quapropter cauendum vobis eſt, ne quid indecorum, ne quid remiſſum, ne quid ab inſtituta Vitæ ratione alienum in vobis animaduerti vllo vnquam tempore poſſit. Vos eſtis lucerna Congregationis huius in ſublimi candelabro, vnde in omnes partes ſplendor, lumenque diffundatur, accenſa. Vos eſtis ſal, quo cætum hunc Oblatorum in omnem ætatem condiri oportet. Maneat igitur præclaræ mentis veſtræ, præſtantiumque actionum ſplendor in omnem ætatem: Vigeat virtutum veſtrarum memoria in omnia ſęcula. Nihil vnquam de honeſto ſtudio; nihil de præſtanti in quouis vir-

tutis

tütis genere contentione remittite. Non quantum profeceritis, ſed quantum ab Antiquis illis probis huiuſce etiam Ciuitatis Sacerdotibus, quantum ab Apoſtolis, quantum ab ipſo IESV CHRISTO Domino noſtro abſitis, vobiſcum cogitate. Haſce inſtitutionis veſtræ Regulas in manibus ſemper, multo autem magis in animis, & in actionis vſu habete. Nihil in his temere, nihil inconſideratè poſitum eſt, nihil ſuperuacaneum, nihil inutile. Omnia à nobis diligenter expenſa ſunt, & cum lectiſſimis, ſapientibuſque Viris collata; & quod caput eſt, magnis ac diuturnis precibus, atque etiam lachrymis à Deo poſtulata, &, vt ſperamus, impetrata. Quare, neque quicquam eſt, quod in his iure contemni poſſit, aut parui æſtimari debeat. Omnia enim tum ad animarum ſalutem procurandam, tum ad ipſam Congregationem conſeruandam ita ſpectant, vt, ſi quidpiam eorum omittatur, vel veſtrum officium cum aliquo animarum diſpendio deſiderari, vel ſtatum ipſius Congregationis damnum facere neceſſe ſit. Sed de his ſatis. Reliquum iam eſt Filij, vt Vos Congregationem iſtam Oblatorum Sancti Ambroſij, quam nos totius Mediolanenſis Eccleſiæ causà inſtituiſſe ſcitis, ſic complectamini, vt illam & virtutum veſtrarum exemplis foueri, & ſpiritualibus progreſſionibus ornari, & benefactis auctiorem, ſplendidioremque reddi, in eaque amplificanda neque piam voluntatem, ardenſque ſtudium,

neque

neque promptam obedientiam, officiumque perfectum in vobis deſiderari cognoſcant omnes: Vobiſque præterea perſuadeatis, nos, pro Archiepiſcopalis noſtri muneris ratione, proq; paterna charitate, qua vos vnicè in CHRISTO diligimus, Veſtras in via Domini progreſſiones, quantum in nobis eſt, perpetuò eſſe adiuturos, de vobiſque adeo ſollicitos fore, vt, quemadmodum pro Eccleſiæ huius ſalute non inuigilare ſolùm, ſed vitam etiam profundere, ſi opus ſit, parati ſumus; ita nihil inexcogitatum, nihil intentatum in poſterum ſimus relicturi, quod ad veſtras omnium, veſtræque Congregationis rationes pertinere arbitrabimur. At vero vt immortalia denique præmia reportetis, abundantioremque in dies Diuinam gratiam conſequamini, Deum orabimus, obſecrabimuſque omni aſſidua prece. Dat. Mediolani, Idib. Septembris M.D.LXXXI.

INSTITVTIONVM AD OBLATOS PERTINENTIVM.

EPITOMES.

LIBER PRIMVS.

DE SCOPO OBLATORVM, & Congregationis illorum fundamentis.

CAP. I.

OBLATORVM Congregatio cum ex hominibus conſtet, qui Sanctiſſimo Patri Ambroſio, Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtiti, & Patrono, vltro ſuaque ſponte ſeſe offerunt; debent illi profecto omnes ſibi perſuadere, ad multiplicia huius Eccleſiæ munera fungenda, & ad pia, præclaraque opera præſtanda ſeſe vocari. Hos enim Ambroſio Duce militantes, qui tam ſtrenuè, dum in terris fuit, pro Eccleſia Mediolanenſi ſe geſſit, illius exemplo labores quoſque perferre, difficillima quæque ſuperare, omne virtutum genus complecti, animaſque tandem, omni ſanctarum virtutum contentione ad CHRISTVM ducere oportet. Quare ita etiam ſe conformare omnino debent, vt in rebus gerendis, atque in omni viuendi ratione, ſanctum quendam animi ardorem perpetuò ſentiant, atque alant. Vim autem iſtam animi inſignem, præclaramque virtutem, tum demum aſſequi ſe poſſe confidant, ſi huius quidem Diœceſis Animas, quaſi fructum eſſe vberrimi

agri à Sanctiſsimo illo Patre noſtro exculti, meminerint inprimis; tum dies nocteſque ſecum cogitauerint, agrum hunc à præſtantiſſimo illo viro diuinis doctrinis, ſanctis exemplis, aſſiduis vigilijs, egregijs meritis, & laboribus ſummis comparatum fuiſſe, ac poſt eum denique Archiepiſcopis ſucceſſoribus, illiſque adeò omnibus, qui in hac cura quouis modo opem ferunt, à Deo, ac Domino Noſtro IESV CHRISTO plurimùm eſſe commendatum. Hæc ſi præſtiterint; illud etiam planè ſequetur, vt eos ſingulari potiùs erga Animarum ſalutem pietate, & inflammato Diuini cultus deſiderio, ſtudioq; obtemperandi ijs, qui in illos Diuinam poteſtatem exercent atque auctoritatem, huius Congregationis ſuſceptum inſtitutum perfectè exequi, quàm pœnarum metu, cognoſcant omnes.

Cum autem huic Congregationi huiuſmodi ſit propoſitus ſcopus, atque finis; illud etiam, vt neceſſariò conſequens, recipiatur, oportet, eiuſdem Congregationis homines, Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Mediolanenſis Eccleſiæ miniſtros omnino eſſe debere, cui ſcilicet paſtoris, ſpeculatoriſque officium in hac Eccleſia, eiuſdemque procuratio, atque gubernatio, vt illius animas ad æternæ ſalutis iter dirigat, commiſſa eſt. Quocirca præcipuum etiam huius Congregationis fundamentum in exquiſita, ac planè perfecta erga ipſos Archiepiſcopos Eccleſiæ Mediolanenſis obedientia poſitum eſſe debet, ad Dei gloriam, & animarum eiuſdem Eccleſiæ ſalutem impensè procurandam, adiuuandamque & promouendam.

Huiuſmodi autem obedientia duabus rebus innitatur,

tur, oportet, voto, & conſtitutionibus: voto quidem, tanquam forma voluntatem perficiente, atque firmante: conſtitutionibus verò, quaſi regula dirigente, viamque præmonſtrante eorum, quæ amplectenda, & quæ fugienda ſunt: de quibus mox agetur, poſtquam de genere illorum, qui in numerum Oblatorum recipiendi ſunt, & de eorundem conditionibus, muneribuſque, cum ordo rerum ita poſtulare videatur, pertractatum erit.

DE CONDITIONIBVS EORVM, qui in Congregationem Oblatorum recipiendi ſunt.

CAP. II.

IN *Oblatorum Congregationem aſcribantur, atque admittantur, cum noſtræ huius, tum alterius etiam cuiuſuis Diœceſis homines, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, vel, ſi nondum initiati, ea tamen ætate ſunt, & illis conditionibus præditi, vt, qui illis initientur, digni, & idonei habeantur; Niſi forte, quod ad ætatem attinet, propter alicuius vel inſignem animi indolem, vel præſtantes animi virtutes, vitæque conſpicuam probitatem, in hoc immaturioris ætatis non habendam eſſe rationem, Congregationique nihilominus eum aſcribendũ, Reuerendiſſimus Archiepiſcopus cenſuerit: qui certe tamen decimum ſextum annum ſaltem agat. Neque verò alicuius receptioni impedimento ſit, quòd eccleſiaſticum beneficium, officiumue cuiuſuis generis ille obtineat;*

neat; ſi modò, quod reſidendi onus coniunctum habet, intra huiuſce Diœceſis limites contineatur.

Iam verò, cum huiuſce congregationis actiones præſtantiſsimæ, atque grauiſsimæ ſint omnes, vtpote quæ animarum fructum, Mediolanenſiſque huius Eccleſiæ cultum complectuntur; ea ſanè cura, animaduerſioque à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo adhiberi debet, in quo omnis huius rei facultas poſita eſt, vt literatura non vulgari exculti, pietate inſignes, egregijs moribus, præſtantique ingenij indole præditi, cæteriſque virtutibus ornati, cum induſtria partis, tum diuino munere infuſis, eligantur, qui in Oblatorum congregationem ſunt cooptandi. Ita enim fore cum ratione ſperandum eſt, vt, ſi non omnia inſtitutæ congregationis munera, at plura certe ex his ſinguli illorum rectè obeant. Contra verò reijciantur omnes, tum indocti, tum, quorum ingenium rude, aut impuri, improbiue mores reclamant, tum verò etiam maximè, qui alio nomine, cauſaue, ſacris canonibus, ab ordine ſacro ſuſcipiendo, aut exequendo prohibentur.

Admittantur verò etiam præter huiuſmodi clericos, laici aliqui viri, & vxorem habentes, & domi ſuæ commorantes, qui pietate inſignes, & ad ea officia præſtanda accommodati cenſeantur, quæ congregationis inſtituto pro illorum conditione conueniunt. Verùm, qua ratione, ac diligentia, cautioneue in hiſce omnibus ſeligendis, ac comprobandis, tum quibus ritibus, & cęremonijs in illis ipſis in congregationem recipiendis ſit vtendum; ex conſtitutionibus ipſius congregationis petendum erit.

DE

DE FORMA OBLATIONIS.

CAP. III.

SED quoniam ex Oblatorum numero non cenſetur quiſpiam eſſe, qui voto obedientiæ oblationem non confirmauerit; propterea, cum Reuerendiſſimo Archiepiſcopo quis ſeſe offert, tum obedientiæ votum coram illo nuncupet, oportet, iuxta formulam verborum, quæ mox præſcribetur.

Liberum tamen ſit Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, ſola aliquando oblatione facta, voti nuncupationem, receptionemque in aliud tempus, atque adeò in aliquot etiã menſes differre, non tamen vltra annum, niſi inſignis aliqua cauſa obſtiterit. Immo verò, ſi quis abſque Reuerendiſsimi Archiepiſcopi facultate, conceſſuue, votum intra annum coram Archiepiſcopo ipſo non fecerit; is à congregatione ſtatim excluſus penitus cenſeatur.

Voto autem rite nuncupato, atque ab Archiepiſcopo recepto, congregationi is aſcriptus ſtatim dicatur, ſitque & eius legibus, & inſtitutis addictus perpetuò, & Indulgentijs, priuilegijſque Oblatorum omnibus fruatur.

Sed, quod de oblatione voto confirmanda præmiſſum eſt, id de clericis præſertim intelligatur, cum laicos oblationem voto confirmare neceſſarium non ſit. Qui quidem laici omnes nullum in congregationibus, conuentibuſue Oblatorum locum, quouis nomine, prætextuue habere cenſendi ſunt: tametſi & illi quoque omnes nihilominus omnium congregationis bonorum operum, benefactorum,

ac

ac meritorum participes ſint. Porro autem ipſa voti clericorum formula, hoc modo, hiſque verbis concipi debet.

EGO N. Omnipotenti Deo, & Sanctiſſimo Patri noſtro Ambroſio, coram Beatiſſima Virgine, Dei Matre MARIA, & tota cœleſti Curia, ac tibi quoque locum Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij hic obtinenti, Reuerendiſſime Domine, Pater Archiepiſcope, cæteriſque deinceps Archiepiſcopis, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſię ſucceſſoribus tuis promitto, ſpondeo, ac voueo perpetuam obedientiam in his omnibus, quæ mihi præcipientur, ad Dei gloriam, & ſalutem animarum eiuſdem Eccleſiæ procurandam, adiuuandam, & promouendam, ad præſcriptum inſtitutę Congregationis Oblatorum Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij: illudque præterea ſpondeo, ac voueo, me in Congregatione, & inſtituto hoc perpetuò victurum.

Quòd ſi voto obedientiæ in aliud tempus prorogato, ſola fiat oblatio; talis ferme erit oblationis formula, qualis voti obedientiæ exiſtit, niſi quòd in locum horum verborum, Promitto, ſpondeo, & voueo, *hoc ipſum verbum,* offero *ſubſtitui debet.*

Sed quoniam ſola voti nuncupatione clericus quiſque Oblatus eſſe non cenſetur, niſi votum quoque ipſum ab Archiepiſcopo recipiatur; idcirco receptionis eiuſmodi formulam hoc loco præſcribere viſum eſt.

Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, pro cuius amore,

amore,& gloriæ propagandæ ſtudio hanc oblationem feciſti, tibi benedicat,& gratia ſua perpetuò te cuſtodiat, & Sanctiſſimus Pater Noſter Ambroſius, quem præcipuum Patronum elegiſti, ſuis precibus, & meritis, gratiam tibi impetret, qua in huius Congregationis inſtituto vberes fructus, ad Dei gloriam, & Animarum ſalutem proferas Mediolanenſi Eccleſiæ. Et Ego tibi benedico,teq; in numerum Oblatorum recipio.

Formulę verò oblationis laicorum talis ſit.

Ego N. in conſpectu Omnipotentis Dei, Glorioſiſſimæque ſemper Virginis Mariæ, nec non Beati Patris noſtri Ambroſij, ac totius Curiæ cœleſtis proſtratus tibi Reuerendiſſime Archiepiſcope, Pater, & Domine mi, cæteriſque deinceps Archiepiſcopis, Sanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis ſucceſſoribus tuis, perpetuam obedientiam offero, tam in ijs, quæ ad curam, ſalutem, ſpiritualemque progreſſum animæ meæ pertinent, quàm in illis etiam, quæ ex Congregationis huius inſtitutis per me præſtanda erunt in operibus, officijſque charitatis in Deum, & miſericordiæ in proximos, adhibendis.

Hactenus de conditionibus, & forma oblationis, cùm clericorum, tum laicorum.

Sequitur de muneribus vtriuſque Oblatorum claſſis.

DE

DE IIS, QVÆ AB OBLATIS præſtari debent.

CAP. IV.

OBLATI clerici iuxta præſcriptum Reuerendiſſimi Archiepiſcopi, illiuſque iudicium, quod de vnoquoque eorum faciet, prout & occaſio poſtulabit, & vniuſcuiuſque ingenium, doctrina, animique inſtructio, atque vis monſtrabit, ab illius iuſsis nuſquam recedentes ita ſe comparent, vt ſemper parati ſint ad ſacras lectiones exercendas, ad concionandum, ad confeſsiones audiendas, aliaque Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta miniſtranda, ad animarum curam ſuſcipiendam, ac gerendam, ad eccleſiaſticas functiones quaslibet cuilibet eccleſiæ præſtandas, ad pauperes erudiendos, ad clericorum educationem, & inſtitutionem, ad ſeminariorum, collegiorumque piorum gubernationem, ac procurationem, aliaue officia in his ipſis locis exequenda, ad Viſitationis, Miſsioniſque munus rectè ac diligenter obeundum, ad quamlibet denique actionem piam promptè adminiſtrandam, & ad omne charitatis, & miſericordiæ officium piè, ſtudioſè, aptè, accuratèque obeundum.

Laici verò oblati ea miſericordiæ, charitatiſque erga alios munera, ſedulò pièque præſtent, quæ congregationis inſtituto, pro illorum conditione, conueniunt. Grammatici literas gratis pauperes, pueros, & adoleſcentes, doceant: Medici ægrotos curent: Iuriſconſulti, & Cauſidici lites dirimant, ac ſedent; diſsidia tollant; pacem

con-

concilient; egentium, Viduarum, Pupillorum, aliorumque in carceres coniectorum, ac defenſoribus deſtitutorũ cauſas agant, & tueantur; eorundemque ærumnas, ac calamitates diligenti opera, omnique ratione ſubleuent: Vnuſquiſque illorum pijs locis charitatis omnia præſtent officia: Xenodochiorum ægros inuiſant; moribundos, vt piè, chriſtianaque fide nixi in Domino moriantur, ſedulò cohortentur; eos, qui in carcere detinentur, amanter conſolentur: alia denique iſtiuſmodi chriſtianæ charitatis, qualiacunque illa ſint, exerceant officia.

Quoniam autem inter pręcipua huius congregationis munera, vt etiam ex Pontificijs Literis Gregorij XIII. cognoſcere licet, clericorum cura, & inſtitutio cenſetur, eorum pręſertim, qui in Seminarijs educantur; quemadmodum ad eandem quoque ſpectat cura, tum Collegij Heluetiorum, Rhętorumue, (cuius quidem gubernatio ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, facultate per Literas Pontificias eiuſdem Greg. XIII. tradita, pendere perpetuò debet) tum Collegij Borromęi in Ticinenſi Vrbe conſtructi; vndè plures quocunque tempore profecturos eſſe ſperandum eſt, qui literis ornati, & eccleſiaſtica diſciplina informati, Mediolanenſi Eccleſiæ inſeruiant; idcirco & tota ipſa cengregatio vniuerse, & ſingillatim Oblatorum quilibet, iſtorum adoleſcentum, iſtorumque Collegiorum, aliorumque prætereà, pro Clericorum, laicorumque inſtitutione, in hac Ciuitate, Diœceſiue, eadem deinceps ratione conſtruendorum, procurationem libentiſſimo animo ſuſcipiant; cum id Reuerendiſsimus Archiepiſcopus huic congregationi tanquam vnum ex pręcipuis

muneribus ad ipſam pertinentibus imponendũ ſtatuerit.

Prętereà verò, cum & Viſitatio, & Miſsio, præſtantiſſimæ ac vtiliſsimę partes ſint omnium huius congregationis functionum, ipſique Archiepiſcopo acceptiſsimę; proptereà, cum Reuerendiſsimus Archiepiſcopus operà Oblatorum vti voluerit in Prouincię Mediolanenſis, alicuiuſue eius partis viſitatione, cum auctoritate etiam Apoſtolica facienda, alijſue in functionibus cum Archiepiſcopali auctoritate pręſtandis; vel cum Miſsio item ad Dei cultum, animarumque ſalutem procurandam, illis ab eodem præſcribetur; tum ſedulò, libenterq; ſuam in his pręſtent operam. Quamobrem, ſi fortè in Regiones Heluetiorum, aut Rhætorum, illiſue ſubiectorum populorum, nonnullos, qui ex eiſdem regionibus ſint, ab Archiepiſcopo aliquando mitti contingat, pro fide catholica, vel ſeruanda, vel inſtauranda, aut alia quauis de cauſa ad Eccleſiæ dignitatem ſpectante; tum verò vel maximè per ſummam obedientiam ſe ſe promptos ad hæc exequẽda exhibeant, omni officio, ac pietate potiùs ſtudentes, vt his in locis catholicam fidem promoueant, ac tueantur, peſtiferamque hæreſim radicitus euellant, ſi quam eà infectam Prouinciam, Prouinciæue partem comperiant. Illas enim regiones, Mediolanenſis Eccleſiæ Diœceſi finitimas, & coniunctas, à labe hæreſum curari, puraſque ſeruari quam maximè refert, ne ad aliquam Eccleſiæ noſtræ partem ſerpat exitioſa eiuſmodi lues.

Cæterùm, vt alijs etiam in rebus ſciant Oblati, quę vi voti obedientiæ facere, quæue omittere, ac vitare illos oporteat; hæc quoque ſedulò animaduertant.

Nulli

Nulli Oblatorum liceat, neque beneficium aliquod, ſiue Eccleſiaſticum, ſiue alterius generis ſit, accipere, niſi Reuerendiſſimo Archiepiſcopo iubente; neque item cuiuſuis beneficij ratione, quamuis ab alijs vocatus, vel etiam ex decreto ipſo Tridentino nominatus ille ſit, examini ſe ſe hoc nomine ſubijcere; neque rurſus acceptum dimittere, niſi eodem Archiepiſcopo conſentiente.

Contra verò, quale quale ſit beneficium, quod ſuſcipere iuſſerit Archiepiſcopus; id illi omnes promptè, ac nihil tergiuerſantes ſuſcipiant, ſeruatis tamen & Canonum, & Pontificum, & Conciliorum ſanctionibus, quibus & beneficiorum multitudo prohibetur, & de ſuſcipientis probatione cauetur.

Nullus Oblatus ad beneficium, officiumue deſerendũ, vel dimittendum aſtringitur, ſi quod fortè illorum aliquis habet, cum vel ſe ſe offert, vel votum obedientiæ nuncupat, vel in Congregationem recipitur.

Quod autem de beneficijs non dimittendis ſine conſenſu Archiepiſcopi ſupra dictum eſt; id adeò ratum eſſe debere decernitur, vt etiam, ſi Oblatorum quiſpiam cumulatoria opera, ſtudiaque maiora, ad vniuerſæ Diœceſis vtilitatem conferendi deſiderio accenſus, beneficium, officiumue vllum eccleſiaſticum, cui vel reſidendi in choro, vel aliud quodcunque onus ſit coniunctum, relinquere velit; id nulla ratione facere poſſit, abſque Reuerendiſsimi Archiepiſcopi conſenſu. Eo enim renuente, libenter retineant Oblati, quod habent; annuente autem, dimittere illis liceat, ſi placet, ſeruatis tamen Summorum Pontificum, Conciliorumque ſanctionibus, & Sacrorum Ca-

nonum legibus, de beneficiorum dimiſsione.

Beneficium, officiumue eccleſiaſticum obtinentes, cui reſidendi onus coniunctum eſt, (inter hæc autem beneficia, quod attinet ad huiuſmodi conſtitutiones, canonicatus etiam omnes eſſe intelligantur quarumcunque Eccleſiarum, in quibus canonici nonnulli in choro conueniant, ſaltem diebus feſtis, ad diuina aliqua officia concelebranda) cum in Oblatorum congregationem cooptantur, licet vt cæteri Oblati, Reuerendiſsimo Archiepiſcopo eiuſdem obedientiæ vinculo ſubijciantur; nullis tamen teneantur legibus, aut inſtitutis, quæ functiones beneficio, officioue, quod habent, debitas, impediunt, atque ne muneri ſatisfaciant, quod natura illius beneficij, officijue poſtulat, prohibent.

Porro autem, qui beneficium dimiſerint, cum propter huiuſmodi beneficij dimiſſionem ſoluti ſint, liberamque illorum naturam acquiſierint, qui nulla reſidendi neceſſitate ſunt aſtricti; eorumdem quoque partes, conditionemque ſequantur, neceſſe eſt.

Si qui rurſus Oblati, nulli, reſidendi iure, Eccleſiæ addicti, Reuerendiſſimo Archiepiſcopo iubente, beneficium aliquod eccleſiaſticum poſt ſuſceperint, cui reſidendi munus debeatur; hi quippe, cum in illorum claſſem, qui reſidendi vinculo ſunt aſtricti, aſcripti iam ſint propter beneficij illius adeptionem, eorundem deinceps conditionem, naturamue ſequi debent.

Hæc igitur diligentiſſimè, perpetuòque ſeruent, atque præſtent Oblati, qui ſe obedientiæ voto, Reuerendiſsimo Archiepiſcopo manciparunt.

Ve-

Verùm, ſi quis perfectioris vitæ deſiderio incenſus, quo ſuſcepti huius inſtituti ſtudijs, officijs, atque exercitationibus, liberiùs ſeipſum dedat, vel paupertatem etiam vouere, vel ſaltem externorum bonorum quorumcunque, ſiue laicalium, ſiue eccleſiaſticorum, quæ quouis modo, vel in præſentia habet, vel in futurum habebit, reddituumq; ex bonis illis proficiſcentium adminiſtrationem, & vſum omnem, ſeruato poſſeſsionis, ac dominij, vt dicunt, iure obedientiæ voto ſubijcere velit, & hoc quoque reddituum ſubiectionis, aut paupertatis votum, explorata illius mente, planèque perſpecto conſtantis animi deſiderio, vel in ipſo voti obedientiæ tempore, vel alio deinceps, Archiepiſcopus ſuſcipiat. Hiſce enim votis obſtricti Oblati, tum faciliorem perfectionis acquirendæ viam ingredi, tum ſæcularibus curis omnibus ſoluti, vniuerſæ congregationis ſpiritualia bona, atque incrementum, liberiùs atque impenſiùs procurare poterunt.

Si quis igitur paupertatem vouere voluerit; tunc voti formula talis ſit.

EGO N. Dei benignitate, & miſericordia, in Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij Oblatorum numerum aſcriptus, perfectioris nunc vitæ deſiderio ductus, coram Diuina Maieſtate ſpondeo, ac voueo, me ex huiuſce Congregationis inſtituto, paupertatem perpetuò ſeruaturum.

Quod ſi bonorum tantùm ſubiectionem vouere voluerit; eadem ſeruetur voti formula, niſi quòd pro poſtremis illis verbis Spondeo, ac voueo me ex huiuſce Congregationis inſtituto paupertatem perpetuò ſeruatu-

uaturum, *hæc erunt ſubdenda*, Bonorum quorumcumque, ſiue laicalium, ſiue eccleſiaſticorum, quę aut in præſentia poſſideo, aut ad me in poſterum quouis nomine peruenient, ac pertinebunt, fructuumque pariter, atque reddituum ex ijs bonis prouenientium adminiſtrationem, curam, & omnem vſum, ſaluo tamen iure poſſeſſionis, ac dominij, Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi obedientiæ ad huiuſce Congregationis præſcriptum ſubijcio, addico, & ita voueo.

DE CONDITIONIBVS AD VOTVM, cum ſubiectionis bonorum, & fructuum, tum paupertatis, pertinentibus.

CAP. V.

VErùm, quod ad ſubiectionis bonorum, fructuumq; votum attinet, & illud quoque decernitur, per huiuſmodi votum non prohiberi Oblatos, quominus alia etiam bona, quouis nomine, tituloue, ac iure acquirere, & conſequi poſsint, aut quominus, Archiepiſcopo iubente, quoduis eccleſiaſticum beneficium, ſiue illud reſidendi munere obſtrictum ſit, ſiue liberum, ſuſcipere, & retinere valeant; Sed iſtiuſmodi tamen omnia bona, atque beneficia, eorumque fructus omnes eandem ſortiri ſubiectionis legem, quæ ſuperioribus impoſita eſt, eodemque teneri voto.

Qui verò paupertatem vouerunt; illorum votum in hac congregatione duas habere conditiones annexas de-

cla-

claratur: quarum vna eſt, quòd, quanquam, qui ita vouent, quominus bona aliqua, ſiue mobilia, ſiue immobilia, fructuſue eorum, aut quouis modo acquiſitos redditus poſsideant proprio nomine, vi voti prohibentur; ipſi tamen bonorum omnium, fructuum, ac iurium quorumcunque, quæ quouis nomine, tituloue ad eos ſpectare alioqui poſſunt, non ſuo quidem proprio, ſed congregationis nomine, adminiſtrationis capaces cenſeantur: cum præſertim eorum loco ipſa ſuccedat congregatio, cui ſanè omnia per eos acquiſita bona, iuraque annexa ſtatim intelligantur: quæ cum priuilegio Sanctiſsimi D. N. Gregorij XIII. omnium legatorum, donationum, diſpoſitionumq; omnium quocunque nomine, & à quibuſuis pijs hominibus proficiſcentium capax facta ſit; eorum quoque Oblatorum loco, ac nomine, qui paupertatis voto aſtricti ſunt, ſuccedendi vim habere, ſubrogataque cenſeri decernitur, quibuſcunque bonis, quacunque ratione, iureque ad illos ſpectantibus: Altera conditio eſt, quòd vouentes poſsint abſque voti ſolutione, vel præuaricatione, immo debeant omnino, Archiepiſcopo iubente, quodcunque beneficium recipere, quod animarum curam tituli nomine exercendam coniunctam habeat: cum præſertim ea conditione, & eo animo nuncupandum eſſe eiuſmodi votum, talemque nuncupatum naturam ſeruare debere ſanciatur, vt ſponte ſuſcipiendi quidem beneficium, vt diximus, facultatem vouenti adimat, eum tamen non impediat, quin ab Archiepiſcopo iuſſus recipere poſsit, ac debeat. Cæterum, cum in hoſce homines huiuſmodi conferentur beneficia; tum votum paupertatis, quo illi obſtringeban-

gebantur, in votum ſubiectionis illicò commutatum cenſeatur, atque homines ipſos eorum ordini aſcriptos iam eſſe, qui fructuum, & bonorum ſubiectionem, ex congregationis inſtituto, præſtare debent.

Quanquam iſtis quidem, qui huiuſmodi paupertatis voto tenentur, non ſint danda eccleſiaſtica beneficia ſine magna ab Archiepiſcopo adhibenda cautione. Cum enim hi quaſi fundamenta quædam, & baſes congregationis ſint; iſtos ipſos & in ædibus Sancti Sepulchri, & in alijs eiuſdem generis perpetuò commorari, & ad vnumquodq; officij genus quocunque tempore, cùm in Ciuitate, tùm in Diœceſi promptè exequendum, liberos eſſe, & expeditos maximè decet.

DE RATIONE ADMINISTRATIONIS fructuum, Archiepiſcopi obedientiæ ſubiectorum.

CAP. VI.

NEque verò fructus Reuerendiſsimi Archiepiſcopi obedientiæ ſubiecti in alium vſum impendi, conuertiue debent, quàm aut in ſubleuanda inopia, & indigentia ipſorum Oblatorum, eorumque conſanguineorum, vel affinium, aut in ijs rebus iuuandis, ac præſtandis, quæ ad quoslibet congregationis vſus pertinent, aliaue pia opera.

DE

DE RATIONE VOTORVM ſupra expoſitorum.

CAP. VII.

AT verò duplex votum ſupra expoſitum, ſiue ſit obedientiæ tantùm, ſiue ſubiectionis bonorum, paupertatiſue, non ſolemne, ſed ſimplex & dicatur, & habeatur, etiam ſi coram pluribus teſtibus, publiciſque & ſolemnibus adhibitis cæremonijs, celebretur.

DE FACVLTATE, ET RATIONE excludendi Oblatos à Congregatione.

CAP. VIII.

QVemadmodum verò multiplicibus miniſterijs, varijſque operibus Oblatos, quamplurima pietatis, & charitatis ſemina ſpargentes, vberrimoſque fructus inde colligentes, & vniuerſæ Mediolanenſi Eccleſiæ plurimo adiumento, & Congregationi ipſi incredibili ornamento perpetuò fore, & præterea vniuerſæ quoque congregationi cariſſimos futuros eſſe haud dubium eſt; ita ſanè, ſi quis eorum (quod Deus auertat) ſui muneris, & dignitatis oblitus, propriamque & aliorum ſalutem negligens, atque conſtitutionibus ſuæ congregationis non parens, ſocordiæ, & vitijs ſe tradiderit, vnde alijs quidem ſcandalo, congregationi verò dedecori ſit; hunc

à congregatione excludendum eſſe inficiandum non eſt, qua ratione enim, tuendi corporis cauſa, corrupta, morboque marceſcentia membra præcidere, ſecarique aliquando oportet; eàdem nempe conſeruandę congregationis gratia, ſi qui ex Oblatis magnis animi vitijs laborauerint, à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo ſegregandi ſunt, & excludendi, voti vinculo ſoluti, quod in congregatione nuncuparint, ſiue illud obedientiæ tantùm ſit, ſiue etiam paupertatis, vel ſubiectionis bonorum.

Non ſolùm autem hos delictorum gratià, ſed bonos etiam interdum iuſta aliqua de cauſa dimittendi facultas apud Archiepiſcopum omnino libera ſit; quorum tamen nullum miſſum faciat, niſi voti cuiuſcumque in congregatione emiſsi vinculo liberatum.

Qui autem excluſi quacunque cauſa fuerint; hi liberi omnino ſint ab omni conſcientiæ ſcrupulo, quod ad vota emiſſa attinet. Neque ſemel dimiſsi iterum recipiantur.

Si qui excludendi ſunt; ijs planè omnia, quæ per illos ad congregationem peruenerunt bona, reſtituantur, tum mobilia, quæ extant, tum immobilia, ſi qua vel ab initio ſecum attulerint, vel per eos quouis nomine acquiſita ſint; deductis tamen impenſis, illa bona meliora reddendi gratià, aut alia huiuſmodi ratione, quouis modo factis.

Si quos verò vel paupertatis voto deuinctos, vel ad Titulum menſæ communis ſacris initiatos, vel certè eidem menſæ aſcriptos, excludendos eſſe Reuerendiſsimus Archiepiſcopus cenſuerit; ſi ea inopia laborent,

vt

vt vnde vitam ſuſtentent , non habeant ; illorum inopiæ, priuſquam excludantur , conſulere debet Reuerendiſſimus Archiepiſcopus , ne illis deſint , quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt: niſi culpam aliquam admiſerint , per quam Sacrorum Canonum iure, beneficijs etiam Eccleſiaſticis, ſi quod haberent, mulctari debuiſſent.

INSTITVTIONVM AD OBLATOS PERTINENTIVM.

EPITOMES.

LIBER SECVNDVS.

DE VARIIS OBLATORVM domibus, & familijs.

CAP. I.

POSTQVAM de votorum, quæ ab Oblatis fiunt, nuncupanturue, officiorumque ratione, ſuperiori libro pertractatum fuit; nunc de ædium, familiarumque ipſorum Oblatorum multiplici ratione, in hoc altero libro agendum videtur.

Harum igitur familiarum domus, aliæ propriæ, aliæ communes dicuntur. Propriæ illæ ſunt, quæ Oblatorum vſui ſolum dicatæ, proprijs illorum inſtitutis reguntur; Vt domus Sancti Sepulchri, & aliæ in poſterum conſtruendæ, quæ eandem viuendi rationem, eademque ſequentur inſtituta: quas quidem collegiatas etiam domos in hiſce conſtitutionibus vbique nominari placuit. His communis, certus, ſtabiliſque, ac firmus in perpetuum victus deſignatus eſt. Præter has autem, illæ quoque, in quas Oblatorum nonnulli ſimul victuri conueniunt, beneficia obtinentes, quibus reſidendi onus adiunctum eſt, propriæ eodem modo habeantur, & proprio nomine conuictorum

domus

domus appellentur: quibus tamen neque certus, neque ſtabilis, perpetuuſue victus, vt ſuperioribus conſtitutus eſt, Communes verò dicuntur, vt Seminariorum, ac multiplicis hominum generis collegiorum domus, quas tum Oblati, tum clerici alij communiter ſtudij causà vnà incolunt, Varia in his pro diuerſa perſonarum ratione inſtituta ſeruantes.

Verùm, quoniam Oblati in eiuſmodi domos recipi nequaquam omnes poſſunt, aut propter multitudinem, aut quia propter impedimentum beneficiorum, quibus reſidendi onus coniunctum eſt, in domibus Eccleſiarum, quibus inſeruiunt, habitare tenentur; horum certè omnium gratià, qui extra dictas domos domicilium habent, ne illis inſtituendis ſua deſint auxilia, plura etiam alia varijs in locis conſtituentur Oblatorum conſortia: quibus ſingulis præpoſiti ſinguli, de quibus infra ſuo loco dicetur, à Reuerendiſſimo Archiepiſcopo deligendi præerunt.

Quæ igitur ad omnium iſtiuſmodi domorum, & familiarum diſtinctionem, & propriam Oblatorum in illis viuendi rationem pertinent: ſingillatim hoc libro comprehendentur. Quæ verò illarum, vniuerſęque adeò congregationis procurationem, gubernationem, adminiſtrationemque complectuntur, ex præſcriptionibus, & conſtitutionibus ipſius congregationis, vberiùs ſumere oportet: Cum præſertim nihil eorum, quę ad ſingulorum Oblatorum inſtitutum pertinent, pars illa contineat: Sed ea tantùm tradat, quæ ſcire illos oportet, qui Oblatorum gubernationi, eorumque congregationi pręſunt.

DE

DE COLLEGIATIS DOMIBVS.

CAP. II.

OBLATORVM congregationis in perpetuum quaſi baſis ſit Eccleſia Sancti Sepulchri, eiuſdemque domus Præpoſitus, quaſi caput: Huic verò Capiti, atque vniuerſæ huic Congregationi regendæ, rebuſque omnibus, quæ ad illam pertinent, gubernandis, Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Eccleſiæ Mediolanenſis præſit.

Porro autem Eccleſiam Sancti Sepulchri his potiſſimùm rationibus deligere placuit. Nam & iampridem à populo Mediolanenſi magna veneratione illa colitur: & in media ciuitate conſtructa, quaſi Vmbilicus iacet: & ſuperiorum temporum malitià, cum dilapſa cleri diſciplina, deprauatiſque populi moribus, raro pietas appareret; tum veneranda iſta Eccleſia perpetua pietatis, & religionis ſemina ſeruauit: quandoquidem in hanc perpauci recepti Sacerdotes, viri integerrimæ vitæ, ſalutiſque Animarum ſtudioſiſſimi, præſtantiſsima pietatis opera indefeſsi ſemper ediderunt: inter cæteraque inſtitutum Scholæ Chriſtianæ celeberrimum in multas partes primi diſſeminarunt.

Liceat verò ſemper Reuerendiſsimo Archiepiſcopo alias etiam collegiatas huiuſmodi domos, præter illam Sancti Sepulchri, huius congregationis quaſi membra, & in Ciuitate, & in Diœceſi conſtituere: ſi modò aliunde certus victus illis in perpetuum aſsignetur, qui ſuſtentationi

tationi

tationi eorum, qui ibidem commoraturi ſunt, ſufficiat. Sintque, qui illic habitaturi ſunt, Oblati, decem, vel octo ſaltem numero.

Quod ſi ædes etiam nonnullas, tamquam Oblatorum hoſpitia, qui ad functiones, pro ſui inſtituti ratione, in Diœceſi præſtandas, aliaue de cauſa mittuntur, conſtituere decreuerit Archiepiſcopus; his & Oblatorum numerum, qui ad illas diuertant, & ſumptuum rationem, atque ſummam, pro ſua voluntate decernere poterit; prout animarum Diœceſis ſaluti, & Congregationis diſciplinæ conſeruandæ conducere cognouerit. Hæc tamen duo Archiepiſcopi ſucceſſores noſtri in primis pro prudentiæ ſuæ ratione diligenter animaduertent: quorum vnum eſt, præſtare Oblatorum numerum, reditusque ipſos domus Sancti Sepulchri augere, quàm plures in Ciuitate collegiatas domos ad vſum Oblatorum erigere, ac conſtituere: Alterum verò, neque plures domui Sancti Sepulchri, alijſue collegiatis huiuſmodi domibus, quam illarum ſumptu ali poſsint, aſcribendos eſſe Oblatos; ne quæ ad viuendum ſunt neceſſaria, illis deſint: neque etiam iuſto numero pauciores, vt ad huiuſce Eccleſiæ adminiſtrationem plures habeantur miniſtri.

In ædibus igitur Sancti Sepulchri, alijſque iſtiuſmodi deinceps erigendis, habitent Oblati omnes, diaconatus ſaltem ordine inſigniti, beneficiumque, quod reſidendi munus requirit, non obtinentes. At verò illi omnes excipiantur, qui Reuerendiſsimi Archiepiſcopi iuſſu, vel apud illos manent, qui beneficia reſidendi oneri ſubiecta habentes, vitam communiter degunt; vel in pijs Colle-

gijs,

gijs, domibuſue Seminariorum, aut alijs etiam locis, in quibus literarum ſtudijs opera datur, commorantur; vel in diuerſas Ciuitatis, Diœceſisue partes miſſi multiplicia Congregationis gerunt munera; aut denique ex cauſa ab Archiepiſcopo probata per facultatem ab eodem ſcriptis traditam ad breue aliquod tempus abſunt. Hos quidem enim omnes à domo Sancti Sepulchri, alijſque eius generis collegiatis ædibus ob eas cauſas abeſſe liceat.

Oblati in ædibus Sancti Sepulchri, vel huiuſmodi commorantes, Victu communi vtantur: præſcriptiones eiſdem ædibus datas, viuendi normam, atque rationem complectentes, diligenter cuſtodiant.

Quòd ſi horum alicui patrimonium, beneficiumue Eccleſiaſticum ſimplex, vel quoduis aliud facultatum genus fuerit, vnde ſuppeditari victus poſsit; ijs, vt illarum Ædium familiam, qua cum vna viuunt, quantum ſumptus, qui pro illis ſit, requirit, ſubleuent, iuſtamque propterea ex facultatum ſuarum fructibus portionem conferant; magnoperè perſuaſum eſſe cupimus.

Eorum nemini liceat, in bonorum ſuorum, aut beneficiorum, aut negotiorum rationibus adminiſtrandis, litibus per ſe, aut alijs rebus incumbere, quæ congregationis inſtituto non conueniant, & ſpiritualis vitę progreſsioni, ſalutique aliorum procurandæ officiant. At hęc omnia ſiant, (ſi modò fieri poſſunt,) vel à congregationis procuratore, vel ab alio, quem ipſi Oblati deligere maluerint: niſi ob iuſtam aliquam huiuſmodi rerum tractandarum

facul-

facultatem Oblatis ad tempus tradiderit Archiepiſcopus.

Sed & illi quoque in illis ipſis collegiatis ædibus Reuerendiſsimi Archiepiſcopi iuſſu habitare permittantur Oblati, qui reſidendi muneri alligatum beneficium non habentes, quanquam neque Diaconatus ordinem ſuſceperunt, neque ea ætate ſunt, vt ſuſcipere eum liceat; tamen ad diuinum cultum, domeſticaue negotia illius Eccleſię, domuſue collegiatæ, neceſſarij ſunt.

Porro autem ex Oblatorum numero, qui beneficium Eccleſiaſticum obtinent, reſidendi munus adiunctum habens, nullus omnino, etiam ſi bonorum ſuorum ſubiectionem Reuerendiſsimo Archiepiſcopo vouerit, domui Sancti Sepulchri, aut alijs eiuſmodi in poſterum conſtituendis, neque adiungatur, aſcribaturue, neque fructibus earum alatur, neque demum in illis commoretur.

At contra, quicunque Oblatorum, neque Eccleſiaſticum beneficium obtinent, neque patrimonium, quod ad ſumptus neceſſarios ſatis ſit; ij ad titulum menſæ communis domus Sancti Sepulchri, vel aliarum huiuſmodi, ſacris ordinibus initientur: neque inde quoque alantur, niſi illis quidem, ſeminariorum ſumptu, vel alia ratione prouiſum fuerit. Quòd ſi illorum victui tamen aliunde quacunque ratione conſultum fuerit, vel quantum ſatis eſt Archiepiſcopi iudicio, vel aliqua ex parte; illinc ſanè menſæ communi parcentes, vt ex Pontificijs literis declaratur, victum capiant.

Communis autem menſę ſumptibus, vt ſupra traditum eſt, alantur, non ſolùm qui commemorati ſunt, ſed

illi etiam maximè, qui votum paupertatis Archiepiſcopo rite nuncuparint: ac illi prgterea in vniuerſum, qui quauis ratione menſæ illi à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo aſcripti ſunt. Cui quidem Archiepiſcopo etiam illos aſcribere liceat, qui ſacris ordinibus iam initiati aliunde etiam habent, vnde viuant; ſi modò beneficio, officioue, reſidendi munus adiunctum habente, careant.

DE DOMIBVS CONVICTORVM.

CAP. III.

VBICVNQVE in Canonicalibus Eccleſijs tres ſaltem Oblati beneficium, cui reſidendi munus ſit annexum, habeant, ideoque illic eis habitandum ſit; hi ex congregationis inſtituto, Archiepiſcopi iudicio, ad ſimul viuendum ſe conferant; cum ſcilicet illic, vel plurium datur copia domuum, quæ contiguæ ſint, vel vna ſaltem adeò ampla, vt illos omnes excipere poſſit.

Hoc idem faciendum erit, ſi in eodem oppido tres ſaltem Oblati erunt; niſi eorum cohabitatione, victuſq; communione impediri functiones ad Eccleſias pertinentes, quibus illi aſcripti ſunt, Reuerendiſsimus Archiepiſcopus iudicauerit.

In omnibus autem Conuictorum domibus, eadem ab ijs omnibus, qui illic degent, viuendi inſtituta omnino cuſtodiantur, quæ à familia Sancti Sepulchri obſeruantur, in ijs ſcilicet rebus, quæ cum illorum ſtatu, qui reſidendi munere aſtricti ſunt, Reuerendiſsimi Archiepiſcopi iudicio conuenire poſſunt.

DE

DE OBLATORVM HABITATIONE. in Domibus Seminariorum, Collegiorumue Piorum.

CAP. IV.

OBLATI, quibus locus, ex inſtituto, in Conuictorum, collegiatiſue domibus non relinquitur; omnes, ſi fieri poſsit, in Seminarijs, Collegijſue pijs educentur, abſque tamen congregationis, & collegiatarum eius domuum ſumptu: & Eccleſiaſticis præterea ſtudijs rite inſtruantur. Ac ex his quidem, quicunque aut optimis naturæ donis præditi, aut bonis diuinitus infuſis donati, eam probitatis, & ingenij indolem præſeferent, vt cum literis, tum christiana in primis probitate præſtantes eos fore, ſpes iam certa concipiatur; hos omnes, etiam ſi ſacris omnibus ordinibus initiati ſint, in ſeminarijs diu retinendos, reſque eis neceſſarias ſuppeditandas, ſua Archiepiſcopali auctoritate curet Archiepiſcopus; vt huic tandem Eccleſię, congregationique ipſi prę-ſtantiores, vberioreſque fructus ſuo tempore afferre poſsint: neque interea congregationi incommodo, ſumptuiue ſint.

Si cui Oblato beneficium, cui reſidendi onus ſit adiunctum, habenti, à ſua Eccleſia abeſſe propter literarum ſtudia conceſſum ſit; huic in collegijs, domibuſue Seminariorum, habitandi locus procuretur, iuſtaque ſuorum fructuum portio, pro ſui ſuſtentatione, ab hoc ipſo conferatur.

Quicunque autem in ædibus Seminariorum, collegiorumue degent; præſcriptiones, & inſtitutiones, quæ in illis ſeruari ſolent, quandiu illic degent, cuſtodiant, & illa prætereà omnia, quæ Oblatis in domo Sancti Sepulchri, alijsue eius generis, viuentibus præſcripta ſunt; quatenus Seminariorum, collegiorumue inſtitutis non repugnant.

DE OBLATIS COMMVNIS VITÆ inſtitutum non exercentibus.

CAP. V.

SI qui Oblati ſint, quibus neque in collegiatis domibus, neque in Conuictorum, aut Seminariorum, Collegiorumue piorum ædibus locus ſit; ij porro, donec in ea loca mitti poſſint, alijs honeſtis locis, Reuerendiſsimi Archiepiſcopi iuſſu, commorentur: Vbi & literis operam nauent, & certæ Eccleſiæ aſcripti functiones ſui ordinis præſtent, atque in his prætereà rebus operam inſumant, quæ ad eorum inſtitutum potiſſimùm ſpectant.

Verùm enimuerò & illi ipſi, de quibus paulò ante diximus, & alij quoque, qui propter reſidendi impedimentum, neque in proprijs, neque in communibus Oblatorum domibus degere queunt; in vnaquaque Vrbis regione, vel in ſingulis Diœceſis plebibus, aut in certa quadam Vrbis, Diœceſiſue parte, vt res, occaſioque feret, Archiepiſcopi iudicio delecta, Præpoſitum conſortij Oblatorum eiuſdem partis, vel regionis, ſtatis temporibus conueniant,

niant, illiuſque iuſsis obtemperent. At verò ille ipſe Præpoſitus ſic ſui conſortij curam gerat, vt tales ſe præſtent Oblati, quantum ad munus inſtituti exequendum, viuendique rationem attinet, vt, quamuis à communi menſa ſeiuncti ſparſim habitent, eorum tamen, qui vnà in proprijs, communibuſue ædibus viuunt, diſciplinam, pro ſtatus ratione, quantum fieri poteſt, imitari contendant. Præterea verò, tum hic ipſe Præpoſitus, tum illi Oblati omnes Præpoſito Sancti Sepulchri ſubijciantur. Et qui in ciuitate commorantur, ſemel ſaltem ſingulis menſibus Reuerendiſsimum Archiepiſcopum adeant: Præpoſitum verò Sancti Sepulchri ſemel ſingulis hebdomadis. Qui verò in Diœceſi, tertio quoque menſe ad Reuerendiſsimum Archiepiſcopum, Præpoſitumque Sancti Sepulchri ſemel ſaltem veniant, niſi aliter iudicauerit Reuerendiſsimus Archiepiſcopus; vt progreſſus ſui, quem aut in ſtudijs literarum, & rerum ſpiritualium, aut in ſuorum munerum adminiſtratione, animarumque fructu, fecerint, rationem reddant.

DE HOSPITIO OBLATORVM. CAP. VI.

CVM autem inter eccleſiaſticarum virtutum munera, non vltimum certè locum hoſpitalitas obtineat, per quam Antiqui illi Patres, vt ait D. Paulus, Deo placuerunt, Angelis hoſpitio receptis; ſi qua iuſta de cauſa, qui in Diœceſi morantur, nulloque reſidendi iure ſunt obſtricti, Oblati Mediolanum venerint; benigno il-

los

los omnes hoſpitio excipiat Domus Sancti Sepulchri. Idemque præſtent aliæ quoque eius generis domus, quę in Diœceſi, Deo iuuante, conſtituentur. Neque enim Oblatorum diſciplinæ conuenire videtur, vbi ſint tales Ædes conſtitutæ, ad alias diuerſi generis, hoſpitij causà diuertere.

Sed neque qui Eccleſiaſticum beneficium, officiumue perſonalis reſidentiæ obtinent, ad laicales Domos, hoſpitij causà, in Vrbe diuertant: ſed vel in eas Ædes veniant quę clericorum causà, Hoſpitij nomine, nuper conſtitutæ ſunt, vel in alias Eccleſiaſticorum hominum, pręſertim verò Oblatorum, & eorum maximè, qui Conuictores dicuntur. Verùm, ſi quos horum frequentiùs, diuturniùſue in Vrbe morari iuſtà de causà contingat; hi cum Præpoſito Sancti Sepulchri re communicata, quod ad victus impenſam attinet, quod ab Hoſpitibus ſuà causà impenditur, illius iudicio compenſent.

DE ONERIBVS A CONGREGATIONE non recipiendis.

CAP. VII.

N*EQVE onera vlla extrinſecùs oblata, neque bona vllius generis cum oneribus coniuncta, neque quicquam eorum, quæ piorum legatorum ratione, atque titulo, ita ſunt inſtituta, vt illis vel perpetua onera, vel etiam ad tempus annexa ſint, liceat congregationi, vel congregationis vlli familiæ, Præpoſitoue, vel cuiuis aliorum, qui congregationi regendæ præſunt, abſq; Reuerendiſsimi Archiepiſcopi conſenſu accipere.*

INSTITVTIONVM AD OBLATOS PERTINENTIVM.

EPITOMES.

LIBER TERTIVS.

DE PIIS EXERCITATIONIBVS ſingulorum Oblatorum, ad ipſorum diſciplinæ ſpiritualis incrementum pertinentibus.

CAP. I.

CVM officium, ad quod Dei benignitate, & munere, Oblati omnes vocati ſunt, ad animarum ſalutem ſpectet, diuinumque, ac ſupernaturale ſit, idcirco charitatis deſiderio, veraque in Deum pietate accenſi, magis ac magis in hac ipſa animarum ſalute elaborandum eſſe, quod proculdubio præſtantiſſimum Dei donum eſt, ſibi omnino perſuadeant, oportet: atque illis potiſſimùm rationibus ſe id adepturos confidant, quibus ſupernaturales, ac infuſæ virtutes omnes, quæ vera ſunt animarum iuuandarum inſtrumenta, impetrari, exorarique à Deo largitore ſolent, orationibus videlicet, ieiunijs, vigilijs, ſanctarum ſcripturarum ſtudijs, meditationibus, ipsàque humilitate potiſsimùm.

Cum enim iuuare alios, ad chriſtianamque religionem,

nem, ac pietatem, veraſque virtutes dirigere ſibi propoſuerint Oblati; ipſis quam maximè perfectæ in primis animorum ſuorum inſtitutioni, vitæque integritati incumbendum eſt: quæ ante omnia alia eccleſiaſticis, ſacerdotalique ordine inſignitis hominibus ineſſe debent. Hæc autem perfectio virtutum omnium ardentiſsimo ſtudio, & charitate in primis, atque familiaritate, coniunctioneque cum Deo per ſpirituales exercitationes aſsiduas comparatur; tum verò etiam recta, atque ſincera animi intentione, in rebus, actionibuſque omnibus ita obeundis, vt non propria vel affectio, vel vtilitas, ſed Dei gloria, animarumque ſalus vbique ſpectetur, ac præferatur.

Quare ſedulò eos operam dare oportet, vt quam diligentiſsimi ſint, non ſolùm in cognoſcendis, ſed in repellendis etiam prauis omnibus cupiditatibus: tum ijs quidem, quibus ad corporis voluptates, ſenſuumque illecebras alliciuntur homines; tum illis quoque, quibus ad vitæ commoda, atque ad diuitiarum, opumque amorem, & deſiderium trahuntur. Præterea verò etiam, vt proprij iudicij, propriæque voluntatis æqui iudices ſint ac moderatores.

Porro autem perneceſſaria quoque cenſenda eſt ad inſtitutum, ſcopumque huius congregationis ſummopere tuendum, perfecta charitas, & animorum coniunctio, tum cum membris alijs, tum cum ipſo capite.

Quamobrem ament in primis, & obſeruent Præpoſitum ſuum, inter eos locum Dei gerentem, illique non ſolùm externa præceptorum executione promptè & nauiter

uiter obediant, ſed interno etiam animi affectu; ita vt & voluntatem ſuam Præpoſiti voluntati conſentientem perpetuò habeant, & mentem quoque ipſam ita accommodent, & componant, vt toto pectore complectantur, ac probent, quidquid Præpoſitus probauerit, conuenireque cenſuerit.

Itaque maleuolas murmurationes, & detractiones omnes, quibus Præpoſiti auctoritas lædi, ac minui poteſt, charitaſque mutua refrigerari, non aliter quàm peſtem ipſam, congregationumque omnium, omnis diſciplinæ & perfectionis certiſſimam contaminationem, & extinctionem fugiant.

Temeraria de Fratribus iudicia etiam atque etiam caueant, multòque magis etiam omnem ſimultatem, ac maleuolentiam, omnemque animi amaritudinem, quæ quacunque cauſa aduersùs fratres concipi poſſit.

His igitur inſtructi Oblati ſeipſos primò, vt priùs dictum eſt, in dies magis ac magis in ſincera, ac pura illa charitate, qua vna permoti ſponte ſuaui huius obedientiæ, ac diſciplinæ iugo, leuique oneri ſeſe ſubmiſerunt, perpetuò exerceant, gratiamque hanc à Deo ſingulari munere ſibi collatam continuè conſeruare ſtudeant; atque in hoc ſpiritu iugiter ita creſcere, vt omni terreno, atque humano affectu exuti, in ſolius Dei deſiderio, ac ardentiſsima in Deum, Diuinaſque res omnes religione, atque reuerentia, ſe totos occupent.

Dominum in conſpectu ſuo ſemper habeant, intueanturque, & coram illo ambulent; id eſt in eius ſanctiſsima voluntate implenda ſtudioſiſsimè inuigilent.

Externi etiam Diuini cultus, qui internæ pietatis indicium eſt, diligentiſsimi atque exactiſsimi obſeruatores ſint; ſibique perſuadeant omnino, pietatem erga Deum fontem vberrimum eſſe, à quo virtutes omnes emanant, vimque omnem, & dignitatem haurit animus.

Quamobrem, niſi fruſtra laborare velint, atque loco verarum ſolidarumque virtutum, earum vmbras atque imagines tantum ſectari; in ea vna conſequenda ſibi maximè elaborandum, atque eam continuis ab ipſo auctore Deo votis, & precibus petendam, in animum inducant, oportet.

Sanctiſsimam Virginem, Dei matrem Mariam, perpetuò pro humano genere intercedentem, atque huius Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, cuius miniſterijs ſeſe obtulerunt, peculiarem patronam, præcipuo pietatis affectu proſequantur. Cumque Illa Mediolanenſi populo varia beneficia à filio ſuo, Domino noſtro IESV CHRISTO, ſæpius aliàs impetrauerit in omnibus periculis, ærumniſque ſiue totius eccleſiæ, ſiue congregationis ſuæ; ad hæc autem vel maximè in miſsionibus ab Archiepiſcopo imponendis, aliarumque grauium rerum tractationibus; ad illius patrocinium, atque præſidium fidenti animo confugiant.

Meminerint etiam ſe Beato Patri Noſtro Ambroſio oblatos eſſe: quam ob cauſam illius librorum ſtudioſos eos eſſe decet, illorumque in primis, quos ille ad huius eccleſiæ clerum de officijs conſcripſit.

Magnam curam, operamque conferant ad imitationem illarum virtutum, quas tanquam hæreditarias ſan-

ctiſsimus ille Parens poſteris reliquit; quare, vt obſequentes filios decet, peculiari quodam ardore animi, atque affectu, illas complectantur.

Ex his præcipuæ illæ ſunt; ad eccleſiæ gubernationem, atque epiſcopale onus inuitus ingreſſus, quotidiana abſtinentia, diuturna & fere aſsidua in eccleſijs ſtatio, frequentis orationis & meditationis ſtudium, religioſa & laborioſa ſanctiſsimorum ſacramentorum miniſtratio, diligens epiſcopalium eccleſiaſticarumque functionum exercitatio, in ſacris ſtudijs, inſtitutionibuſque chriſtianis, quas & ſermonibus, & libris confecit, aſsidui magnique labores, conſtantia & fortitudo in omnibus, quas à mundo, & Satana illatas pertulit, oppugnationibus, animi manſuetudo cum magnitudine coniuncta aduersùs potentium hominum impetum atque furorem, prudentia in rebus gerendis, morum grauitas ſingularis, diſciplinæ eccleſiaſticæ diligentiſſimus cultus, pro fide catholica acerrima dimicatio, mira erga Sanctam Sedem Apoſtolicam obſeruantia, magna commiſeratio erga pauperes, benignæque largitiones, charitas illa ſempiterna memoria digna, qua profuſis lachrymis peccata aliena defleuit vſque adeò, vt animos in male agendo obfirmatos, ad pœnitentiæ lachrymas perduxerit.

Has igitur, & alias virtutes, quas & operum exemplis, & ſcriptis, ſacerdotibus cleroque Pater Ambroſius reliquit, ſibi quiſque, qui Oblatorum numero aſcriptus eſt, ob oculos ponat; tum videat etiam atque etiam diligenter, ne quam culpæ maculam contrahat, neue quicquam aut cogitet, aut loquatur, aut faciat, quod à

ſanctiſsimis illius Patris inſtitutis, conſilijs, monitiſue alienum ſit; ne, ſi quid eiuſmodi admiſerit, indignum ſe præbeat ſingulari illius patrocinio, efficiatque, vt quam præſtitit ſemel oblatio, minus ei grata ſit.

Omnes præterea, pro ſtatus ſui ratione, in eam curam incumbant, vt Sacrorum Canonum, Conſtitutionum Pontificiarum, Conciliorum, & Decretorum ad morum eccleſiaſticorum rationem pertinentium non modo notitiam, ac ſcientiam teneant, ſed executionem quoque, atque vſum; immo verò iſtum ipſum præcipuè adiungant, tum ad ſua, tum ad aliorum vitæ inſtitutionem.

Illud etiam præcipuè curent, vt cognita perſpectaque planè habeant omnia, quæcunque ad huius Eccleſiæ ritus, ceremonias, inſtituta, decreta, conſtitutiones, atque adeò inſtitutiones cuiuſuis generis pertinent; eaque ipſa eo maiori ſtudio, libentiùſque ſeruent, atque exequantur, vt reliquos Eccleſiaſticos homines ſuo exemplo trahant, incitentque vehementer ad eadem rite exequenda.

Prælectionibus ſacris, & concionibus, & eccleſiaſticis conuentibus, & alijs diſciplinæ eccleſiaſticæ communibus exercitationibus ante alios interſint; niſi ob grauiores alias occupationes, magiſque neceſſarias, à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo aliquando impediantur.

Omnibus etiam Archiepiſcopalibus Vicarijs, atque Viſitatoribus ante alios promptè omnibus in rebus obediant, ſacerdoteſque omnes reuereantur, ſeniores præſertim, inprimiſque Vicarios Foraneos, Præpoſitos, & Parochos; quibus omnibus ſe ſe ſubmittant, humileſque præbeant.

Eccle-

Eccleſiarum præterea, altarium, & omnis ſacræ ſupellectilis nitoris, ornatus, atque apparatus, ſtudioſi ſint.

In Diuinis item officijs, ac miniſterijs rite pièque celebrandis atque obeundis, decentem cultum, ſummamque reuerentiam adhibeant.

Inprimis autem vitæ innocentiam, ac morum caſtitatem, integritatemque ſumma cura, ſummoque ſtudio perpetuò proſequantur.

Victus, ac veſtitus, domeſticæque ſupellectilis moderationem clericali ordine dignam, Concilijs Prouincialibus, & Diœceſanis, alijſque Archiepiſcopalibus inſtitutionibus, & decretis præſcriptam exactè cuſtodiant.

Singulis diebus præter conſuetas preces, quæ Deo voce perſoluuntur, mane primùm, deinde veſperi, orationi, quæ ſolo, mentis motu fit, mentaliſque propterea nuncupatur; Oblati omnes, tum clerici, tum laici vacent; veſperique præſertim in conſcientiæ penetralia accurato ſeueroque examine introeant, vt eam, ſi fortè inquinata ſit, emundent, atque purgent.

Sacerdotes bis ſaltem ſingulis hebdomadis, (niſi ſæpiùs etiam id faciendum ſit,) peccata, ſi qua commiſerint, confiteantur; atque ita viuere ſtudeant, vt quotidie Miſſæ ſacrificium celebrare dignè poſsint.

Clerici verò, & laici octauo quoque die peccata ſua confiteantur, & Sanctæ Communionis Sacramentum ſumant: quanquam id ſæpiùs, rariùſue facere debebunt, prout Confeſſarij iudicium illis præſcribet.

Confiteantur autem ſemper eiuſdem Congregationis Sacer-

Sacerdotibus, à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, vel Præpoſito Sancti Sepulchri conſtitutis. Quod ſi illis eiuſmodi Sacerdotes propter locorum diſtantiam conuenire difficile, graueue fuerit; tum commodiores alios Confeſſores idoneos aliunde illis aſsignare Archiepiſcopo vel Præpoſito liceat.

Vniuerſi autem Oblati, etiam laici, quotannis illis ipſis Sacerdotibus, quos idem Præpoſitus ad hoc munus delegerit, generaliter ſemel confiteantur, ab eo tempore confeſsionem huiuſmodi inchoantes, quo poſtremam pariter omnium peccatorum confeſsionem præſtiterunt, niſi de aliquibus interdum aliter cenſeat Præpoſitus ex Confeſſarij conſilio. Hac enim ratione in ſuſcepto huius vitæ inſtituto firmiùs confirmabuntur, atque ad Deo inſeruiendum magis ac magis excitabuntur.

Vitent quoque diligentiſsimè, ne quemquam diligant ſingulari præ ceteris amoris affectu, qui vt plurimum inordinatus eſſe ſolet: ſed æquali omnes, pro ſingulorum ratione & ſtatu, charitate proſequantur; illorum tamen familiari potiùs ac ſæpiùs vtentes conſuetudine, ex quibus cumulatiorem percipere ſpiritualem vtilitatem poſsint.

DE

DE EXERCITATIONIBVS ad proximorum ſalutem iuuandam pertinentibus.

CAP. II.

POSTQVAM autem huiuſmodi virtutibus, tanquam firmiſsimis præſidijs, inſtructi fuerint Oblati; tum virtutem illam, quæ in huiuſce Congregationis hominibus maximè omnium eluceſcere debet, quæque in ſalutis animarum deſiderio, atque auxilio inprimis poſita eſt, quam maxime excitare, atque exercere debent.

Quamobrem omnes in eam curam incumbant vehementer, vt ad omnia officia rectè obeunda ſe parent, atque inſtruant, quibus via ſit ad ſalutem animarum iuuandam & procurandam. Quantò enim præſtantiores in eo genere euadent, tantò meliùs ſuſcepti inſtituti, atque vocationis ſuæ ſcopum aſſequentur.

Maximam autem vim ad eum charitatis erga animarum ſalutem ardorem, non modo in mentibus concipiendum, ſed alendum, fouendumque habent, quæ ſubduntur.

Nempe ſancta conſuetudo, exercitatioque pia precandi perpetuò retenta, atque adeò in dies aucta; qua veluti interprete Deum coram familiariter pij homines alloquuntur. Sic enim diuino ſpiritu afflari, ſanctoque ſalutis animarum deſiderio magis accendi ſolent.

Illuc etiam ſpectat animo aſsiduè cogitare, quam nobiles

nobiles ſint animæ, & pretioſæ in conſpectu Domini; quanta ſit earum dignitas, quas proprio ſanguine redimere filius Dei non recuſauit; quamque præcellens opus ſit, in eo ſalutari officio Dei cooperatores eſſe, quo nihil certè in terris maius, aut nobilius, illuſtriuſue excogitari poteſt.

Ob oculos mentis præterea ſempiternam gloriam ſibi perpetuò proponant, quam mercedis loco ijs, qui nauiter munus hoc præſtant, præparauit Deus: contra verò vniuerſas pœnas ijs conſtitutas, qui rem tantam contemnunt, intueantur.

Sedulò præterea animaduertant, quanta veteris teſtamenti literis mandata hominis gratià fecerit Deus: Atque in eo potiſsimùm cogitationem, mentemque omnem figant, vt attentè conſiderent aduentum in terras Domini Noſtri IESV CHRISTI, FILII DEI, diligenterque perpendant, dum nobiſcum in terris commoratus eſt, quanta deſiderio ſalutis noſtræ accenſus fecerit, quantaque perpeſſus ſit: cogitent denique hominum animas, ipſo Auguſtiſsimo CHRISTI SANGVINE redemptas, & ablutas fuiſſe.

Hæc ſi cogitent oblati; iure ac merito ſperari debet, talibus cogitationibus, quaſi quibuſdam facibus animum illorum ita accenſum iri, vt nullus vel maximus labor eſſe poſsit, quem illi ſubire recuſent, ne pretioſiſsimi CHRISTI SANGVINIS fructus in ipſis, alijſque ipſorum negligentià, aut culpà, depereat.

Conſiderent præterea horribilem animarum ſtragem, quam generis humani ſempiternus hoſtis Satanas facit;

quan-

quantam in illis perdendis ſollicitudinem adhibeat; quibus vtatur miniſtris; qua alacritate, ſollicitudineque; quibus laboribus, & vigilijs, ſceleſti illi miniſtri opus vrgeant, indefeſſi, atque aſſidui, ijdemque perpetui, & obfirmati.

Quare turpiſsimam rem ſeſe facturos exiſtimare debent IESV CHRISTI miniſtri, ſi ita Domini ſui voluntatem, dignitatemque ſuam, atque ſempiterna præmia paruipendent, vel à chriſtiana charitate tam alienos ſe præbebunt; vt à Satanæ miniſtris ſuperari ſe ſinant, patianturque, vt illi maiori ſtudio ad ſe & alios perdendos, quam ipſi ad ſuam aliorumque ſalutem tuendam incumbant.

Sed illud quoque conſiderent, quanta, quàmque ampla ſit hæc meſsis; quanta ſpiritualium bonorum egeſtas; quanta ſalutariter agentium penuria; quam pauci verò miniſtri, qui ſancto deſiderio accenſi, ſuis neglectis commodis, terreniſque vtilitatibus, ſolam CHRISTI DOMINI NOSTRI gloriam, animarumque ſalutem ſpectent.

Pręterea ſibi conſtituant ante oculos, plurimos maximoſque labores, quibus Sancti Apoſtoli pro animarum ſalute, dum in terris degerent, perfuncti ſunt; atque inter hos, Sancti Pauli inprimis perpetuas vigilias, itinera, conatus, & præclaras contentiones atque actiones. Reſpiciant innumerabiles Martyres, Sanctos Epiſcopos & Sacerdotes; qui ſancto animarum amore flagrantes, omne laborum, periculorumque genus libentiſsimo animo ſubierunt.

Vt autem etiam eorum, qui in miſero peccati mortalis ſtatu perſeuerant, miſereri ſciant, nullumque laborem ad eos tam ingenti miſeria liberandos ſubterfugiant, immo verò libenti animo in hoc maximè laborent; ſecum ipſi cogitent, quantis in calamitatibus, periculis, horribilibuſque malis verſentur, qui peccato mortali aſtricti tenentur.

Hæc profectò omnes, in quibus aliqua lux pietatis reſidet, mouere, & vehementer afficere debent, ad animarum ſalutem ſtudiosè quęrendam, curandamque.

Porro autem ſeipſos ad id muneris rectè accuratèque obeundum vtiles idoneoſque pręſtabunt, primùm quidem, ſi in virtutibus illis, de quibus dictum eſt, adipiſcendis atque exercendis, quibus diuini honoris & glorię, animarumque ſalutis ſtudium acquiritur, & nutritur, maximam operam adhibuerint. Deinde autem, ſi externis etiam inſtrumentis, atque ſubſidijs, quæ non parum hominum ſalutem iuuant, vt inſtructi ſint, non vulgarem operam dederint. Sed ita tamen, vt per huiuſmodi adiumenta, ſe tantum ſpiritualis fructus colligere poſſe ſperent, quantum diuinam gratiam iuxta Dei ſummæ prouidentiæ ordinem cooperari crediderint; qui bonorum omnium, tam naturalium, quam ſupernaturalium auctor eſt, quique propterea omnia ad ſuam gloriam vult referri.

Hęc autem, quę externa ſubſidia, atque inſtrumenta vocantur; diuinarum & eccleſiaſticarum, aliarumque bonarum literarum ſtudia ſunt, illa nempe, quæ pręcipuè de rebus illis tractant, quę ad proximi ſalutem

iuuan-

iuuandam conſerunt. Ac propterea omnes huiuſmodi ſtudijs pro ſuo captu grauiter incumbere debent.

In ſtudijs autem, actionibuſque omnibus, mentem ab omni labe puram, integramque conſeruent; eaque omnia ad Dei gloriam, animarumque ſalutem referant; hocque ſanctum propoſitum quotidie in ſuis precibus renouent, pièque Domino offerant, ac commendent.

Meminerint etiam perpetuò obedientiæ, quæ maximè propria eſt illorum inſtituti, non minus circa ſtudia ipſa, quam res alias omnes.

Quamobrem prompta, æquabilique animi alacritate, in ea ſtudia incumbere ſemper parati ſint, quæ Reuerendiſſimus Archiepiſcopus magis probauerit, idque tam in ipſa ſtudiorum materia capeſſenda, quam in eorum ratione præſcribenda.

Inter hæc autem inſtrumenta, de quibus modò diximus, connumeretur etiam vel maximè ratio ac via Diuini verbi prædicandi; quæ quidem eam verborum, ſententiarumque grauitatem, eamque vim ſpiritus complecti debet, quam dignitas, & prꝺſtantia huius muneris requirit. Nam huius quidem muneris ſiue materiæ, ſiue finis ſpectetur; tanta vndique dignitas oſtenditur, vt non facilè aliud excogitari, diciue poſsit, quod illo prꝺſtantius ſit, aut altius, aut magnificentius: ſi quidem omnia Chriſtianꝺ Religionis myſteria, ac Sacramenta, omnes virtutes, omnia, quæ ad eiuſdem religionis fidem, fideique fructus ſpectant, omnia denique, quꝺ à Deo ad homines proficiſcuntur, & ad Deum proficiſcentes homines iuuant, verbi diuini nomine continentur: Illud

præterea præſtat hoc idem munus, vt Dei cognitio in audientium animis in dies magis ac magis ſeratur, longèque propagetur. Quod quidem naturę vniuerſę finis eſt, ad quem condita omnia procreataque ſunt, vt ſcilicet Diuinę Maieſtatis inexplicabilis amplitudo intelligatur, eàque cognità, ad procreatoris ſui gloriam omnia referantur. Huc ſanè hominum mentes diuini verbi Prædicatores conuertere contendunt; hac de cauſa illorum animas ſapientiæ luce illuſtrare nituntur, charitate inflammare, omni animi contentione permouere; ob id in omnem partem audientes impellere conantur, modò diuini iudicij terrore, ſupplicijque ſempiterni magnitudine concutientes, atque exagitantes, modò cæleſtis præmij ſpe excitantes, modò diuinæ miſericordiæ fiducia lenientes, ſemper autem à morte peccati ad vitam ſpiritualem reuocantes. Hinc fructus ille præſtantiſſimus, ſalus animarum oritur: qui quidem quanti faciendus ſit; ex incredibili animarum ipſarum dignitate conijci, intelligiue poteſt quæ ſi cui fortè obſcura eſt; clariſſima IESV CHRISTI verba perpendat, animam vnam toti mundo præferentis. Quid prodeſt, inquit, homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Eiuſdem præterea res geſtas omnes animaduertat. Quid enim aliud ille voluit, cum è cælo deſcendit, laborioſiſſimam vitam in terris duxit, acerbiſſimam denique mortem ſubijt, quam hominum animas ab æterno periculo, & morte liberare? Hic certè laborum omnium ſuſceptorum ſcopus, hic ſanguinis effuſi, hic crucis, hic mortis fructus fuit.

fuit. Eo in opere adiutores ei ſunt, qui verbi Diuini prædicationi operam nauant. Quare, cum eo officio fungantur Diuini verbi Prædicatores, quo Chriſtus ipſe perfunctus eſt, ab eodemque præſtantiſsimo munere animarum ſalus pendeat; illius dignitatem, prȩſtantiamq; intuentes Oblati, maxima certè tum verborum, tum ſententiarum grauitate, vt diximus, maximaque vi ſpiritus, illud tractare debent, nihil eo neque vtilius homini, neque Deo gratius, aut acceptius, à quouis homine præſtari poſſe pro certo habentes.

Colloquia inſuper, quæ in familiari conſuetudine ſæpiùs haberi accidit, de ijs potiſsimùm, cum occaſio dabitur, inſtituantur, quæ ad mores formandos, animarumque inſtitutionem planè chriſtianam pertinent. Fiat autem colloquium eo verborum ſententiarumque pondere, vt hominum mentes ad id, quod quȩritur, impellant, atque accendant.

Sed quamuis omnes quidem in procuranda, iuuandaque animarum ſalute ſtudioſi eſſe debeant; nemo tamen, niſi priùs re cum Præpoſito communicata, quicquam tractet, ſiue ſpiritualem, ſiue aliam alteriuſque generis curam ſuſcipiat.

Sed hactenus quidem de ijs, quæ pro animarum ſalute Oblatis ſunt facienda. Vnum tamen ſupereſt præcipiendum, vt ſemel ſaltem ſingulis menſibus in Miſſæ ſacrificio vnuſquiſque Oblatus Sacerdos pro ijs, qui de congregatione benemeriti ſunt, precetur. Omnes prætererea Sacerdotes huius congregationis, ſi quem Oblatorum è vita migrare cõtingat, Miſſæ ſacrificiũ pro eo celebrent, uat ſaltẽ in eo ſacrificio precationẽ adhibeant. DE

DE EXERCITATIONIBVS OBLAT. vitam communem ſimul degentium.

CAP. III.

HACTENVS dictum eſt de ratione, qua ſinguli ſe exerceant Oblati, vt ſuam ipſorum primùm, deinde aliorum ſalutem iuuent: deinceps, quo pacto illi ſe gerant, qui in eiſdem ædibus ſimul commorantur, communique vtuntur victu, agatur.

In ædibus igitur Sancti Sepulchri, atque in alijs item eiuſdem generis, in quibus ſimul commorantur Oblati, illi quidem, qui eccleſiaſticum beneficium, cui reſidendi adiunctum eſt onus, non obtinent; omnes ſimul diuina officia, preceſque horarias in oratorio enuncient; illis tamen exceptis, quibus Præpoſito iubente, eo tempore in alijs muneribus verſari contingat.

Feſtis item diebus, cum clericorum, ſacerdotumque copia dabitur, & templum amplum adeò fuerit, vt Archiepiſcopi iudicio fidelium hominum multitudinem capere poſſit ſine vllo ex loci anguſtia impedimento Confeſſionum audiendarum, & Sacramenti Communionis miniſtrandi; tum Sacroſancta Miſſa, tum reliqua diuina officia ſolemnibus adhibitis cæremonijs canantur. Quibus omnes eiuſdem domus Oblati interſint, præter eos, qui vel in Confeſſionibus audiendis, aut alijs miniſterijs ſpiritualibus obeundis occupati, vel domeſticis rebus neceſſarijs, aliaue iuſta cauſa impediti, Præpoſiti iudicio intereſſe non poterunt. In-

Interim verò, dum exiguus adhuc Oblatorum eſt numerus, neque Eccleſia, vt decet ampla; ad eas Eccleſias ſe conferant, ſuas ibi præſtantes functiones, ad quas iuſſu permiſſuue Reuerendiſsimi Archiepiſcopi eo nomine mittentur.

Sub veſperam quotidie in eodem templo Sancti Sepulchri, atque in alijs eiuſdem generis domibus Oblatorum, antiphona de Beatiſsima Virgine Maria canatur, pro temporum diuinorumque officiorum ratione; cui quidem orationi omnes eiuſdem domus, & Sacerdotes, & Clerici, & Laici adſint.

Illà finità, enuncietur pſallenda de Beato Ambroſio, patrono huius Congregationis, & Ciuitatis, vnà cum oratione de eodem.

In omnibus ędibus, in quibus ſimul viuent Oblati, à Prępoſito, aut ab eo, cui ille iuſſerit, frequentes exhortationes apud illos habeantur, qui eiuſdem domus ſunt; quibus de huius congregationis inſtituto, ſcopoque propoſito, quam ſæpiſsimè agatur.

Frequenter autem per ſingulas hebdomadas, de rebus ſpiritualibus viciſsim fiant colloquia, maximè verò de ijs rebus, quibus dirigi homines adiuuarique poſsint ad viam peccatorum deſerendam, & ad chriſtianæ perfectionis ſemitam ſequendam; atque de ratione item, qua tentationibus Satanæ ſit reſiſtendum.

Proponantur etiam in his colloquijs remedia, quæ contra ſingula peccata, vitiaque adhiberi oporteat, & rationes pariter, quibus praui animi habitus amoueri, funditusque euelli poſsint.

De

De periculis pręterea agatur, quę vitæ ſpiritualis curſum comitantur, impediuntque progreſſum; de auxilijs item, quibus illa propulſantur.

Et de ratione pariter, qua inſtrui homines debeant, ad ſanctarum meditationum, orationiſque ſtudium.

De ratione quoque ſubminiſtrandi moribundis adiumenta, ad ſanctè, pièque in Domino moriendum; deq; alijs inſuper rebus ſpiritualibus, quibus, vt Domino rectè ſeruiat, adiuuari proximus poteſt.

Aliquando etiam, cum Præpoſito, vel Præfecto ſpirituali viſum fuerit, ſimul conferant Oblati ſinguli, quid eo die ſibi in meditatione, orationeue, maiore cum animi ſui vi, ſpiritualique guſtu, Dei benignitas communicare, atque elargiri dignata fuerit.

Et quoniam Sacerdotes in hiſce domibus collegiatis degentes, frequentes eſſe debent in confeſſionibus populi audiendis; illudquoque cuſtodiant, vt ſingulis hebdomadis ter inter ſe de conſcientiæ caſibus diſputationes, & conſultationes ineant; quibus vnus præſit, quem Præpoſitus delegerit.

Bis ſaltem ſingulis hebdomadis, quarta ſcilicet, ſextaque feria, in Eccleſia Sancti Sepulchri, & in alijs ſimilibus, de rebus ſpiritualibus publica habeantur colloquia; quibus vtriuſque ſexus homines intereſſe poſſint.

Singulis diebus feſtis ſacra vel concio, vel ſanctarum ſcripturarum explanatio in eiſdem Eccleſijs fiat; cum ſcilicet copia dabitur Oblatorum, qui huiuſmodi muneribus obeundis ſatisfacere poſſint.

Oblati,

Oblati, qui in Ciuitate ſunt, in ædibus autem vitæ communis domicilium non habent, ſæpiùs per hebdomadam, tum ad ſui conſortij Præpoſitum, tum ad ædes Sancti Sepulchri, cum exercitationes ſpirituales fiunt, accedant.

Qui in Diœceſi autem habitant, ad eiuſmodi exercitationes obeundas, prout Præpoſitus Sancti Sepulchri pro locorum propinquitate, aut longinquitate cenſuerit, ad Præpoſitum ſe conferant, cuius curæ commiſſum eſt conſortium Oblatorum illius plebis, vicariatuſue, aut regionis, in qua illi habitant.

Oblati, qui in Seminarijs educantur, Sacellum habeant proprium, aut ædiculam orationi dicatam, quo ſimul frequentiùs iuſſu & cura Præfecti ſui ſpiritualis conueniant; ibique præcipuas quaſdam ſpirituales exercitationes, præter illas, quę propriæ ſunt cæterorum Seminarij clericorum, ſimul exequantur.

Cum autem Oblatum aliquem è vita diſcedere contigerit; ad Altare maius Sancti Sepulchri pro eius anima, à probatiſsimis Sacerdotibus, iuſſu Præpoſiti Sancti Sepulchri, primo quoque tempore tres Miſſę celebrentur.

Quod ſi is, qui è vita diſceſsit, ex aliqua Oblatorum domo collegiata extiterit; ab eadem familia officium præterea funebre conuentuale eadem de cauſa celebretur.

INSTITVTIONVM AD OBLATOS PERTINENTIVM, EPITOMES.

LIBER QVARTVS.

DE IIS, QVÆ AD OBLATORVM miſſionem pertinent.

CAP. I.

CVM in locum aliquem mittentur Oblati; præſtantiſsimę iſtius actionis pondus, & dignitatem animaduertentes, ſecum ipſi magis ac magis cogitent, oportet, Clericos homines ex omni chriſtianorum numero diuinitus eſſe delectos, vt, cum luminis, tum ſalis facultatem, atque vim erga alios omnes exercentes, cæleſtis illos ſapientiæ luce illuſtrent, atque è tenebris peccatorum ad claritatem Diuinæ gratię euocent, atque deducant; vitæ verò optimè inſtitutæ ſale condiant, ac diuinis oculis gratos reddant: quod ſanè vt pręſtent, perficiantque omnino; ſingularem quandam gratiam per ſacros ordines, Diuina largitate ſibi fuiſſe tributam meminiſſe debent. Conſueuit porro Deus munificentiſsimus, ac ſapientiſsimus, cum ſerium aliquod munus, negotiumue hominibus iniungit, ad illud ipſum tranſigendum vim quoque propriam, ſingulareque donum impertiri. Mandaſſe olim Moyſi Deum

Iudaicę

Iudaicę gentis curam, omnium contumaciſsimę, illique propterea ad hanc Prouinciam facilè adminiſtrandam, manſuetudinem planè ſingularem addidiſſe, ex ſacris literis nouimus: ſicuti & Ioſue aduerſus Cananęos ſummam rei militaris prudentiam, ſummamque virtutem: Salomoni ſapientiam pene incredibilem, ad gentem ſibi creditam regendam: Machabęis animum in impios inuictum. Ita ſanè hominibus ſacro ordine initiatis, vnà cum onere gratiam, & robur ad onus ferendum neceſſarium, per Epiſcopi manus impoſitionem, Deum tribuere minimè eſt ambigendum. Quare cauendum porro diligenter ipſis eſt, ne quod Apoſtolus monet, gratiam ſibi à Deo collatam in vacuum accepiſſe oſtendant, illamque inanem reddant; quam Diuino conſilio donatam ſciunt, vt illam excitantes, ſummopereque colentes, atque exercentes perpetuò, ſuam & aliorum vtilitatem, & ſalutem procurent; tum quidem IESV CHRISTI Domini gloriam præclaris ſtudijs apud omnes amplificando; tum verò exemplum omnibus quam optimum proponendo, quo mores, vitamque componant; cum illos certè vel ob eam rationem maximè in altiſſimo dignitatis gradu, quaſi in altiſsimo monte Deus collocauerit, & in conſpectu omnium propoſitos eſſe voluerit. Nam, vt Nautę periculoſis maris tempeſtatibus iactati, ad accenſas in altis turribus faces iter dirigunt, curſumque contendunt; ita ſanè homines varijs infeſtiſsimi ſęculi agitati procellis, in ſacerdotum vitam ac mores, tanquam in lumina quædam clariſsima, oculos intendunt. At verò, cum huiuſmodi viuendi ratio clericis omnibus debeatur: quonam

tandem pacto ſe gerere debent Oblati, ad clariſsimum iſtius congregationis inſtitutum vocati, maximaque propterea in hominum expectatione poſiti? Hi certè, cum ante alios ad præclaras actiones in hac Diœceſi præcipuè prestandas diuinitus vocati cenſeantur, niſi diligentiùs, ac ſtudioſiùs vocationem iſtam obire aſsiduis vigilijs, indefeſsiſque laboribus, ſe totos in hominum ſalutem impendere, cæteroſque demum omnibus in rebus ſingulari ſtudio ſuperare contendant, neque ſuo muneri, neque diuinę vocationi, neque hominum expectationi ſatisfeciſſe, ſibi omnino perſuadeant, oportet. Cum autem in omnibus inſtitutę congregationis functionibus tales ſe preſtare debent, tum maximè in miſsione omnium præſtantiſsima. Quare, quę ſubijciuntur, monita atque præcepta ad miſsionem pertinentia perſpicere diligenter, planèque cuſtodire debent.

Principiò igitur, quemadmodum periti Agricolę nihil in vite relinquunt, quod vel vuarum ortum impedire, vel progreſſum remorari, vel maturitati officere poſſe cenſent, ſed illud omne amputant, circunciduntque; ſic muneris ſui obſeruantes adeò eſſe debent Oblati, vt, quæ à Diuini nominis propagatione, atque animarum ſalute aliena ſunt, reijciant prorſus, aboleantque.

Quare illud inprimis curent diligenter, ne vlla in cultu oſtentatio cernatur, nulla in ſermone petulantia, nulla in moribus diſſolutio, nulla in vita turpitudo. Illud deinde maximè referre ad dignitatem clericalem conſeruandam meminerint, omni loco, omnique tempore, de rebus ſpiritualibus ſermonem ſæpe inferre: quod vt copio-

copioſiùs, faciliùſque præſtent, animum diuinarum rerum aſſidua commentatione paſcant, memoriamque ſacrarum hiſtoriarum commemoratione exerceant.

Et quòcunque tandem miſsi fuerint, vultu ibi, inceſſu, geſtu, verbis, omni denique corporis, atque animi moderatione, eam viuendi normam præſeferant, ac ſeruent, quam & inſtitutum congregationis, & Eccleſiaſtici ordinis ratio, & exemplum, quod omnibus optimum præbere debent, ad quos mittuntur, ab eis omnino expoſtulant. Sciant autem ſe muneris ſui partes eò melius executores eſſe, quò plùs probatæ vitæ exemplo cęteris hominibus præſtiterint.

Meminerint verò etiam magni referre ad hominum ſalutem, Eccleſię Sacramentorum adminiſtrationem ſumma cum dignitate tractatam. Cum enim animus noſter rerum ſenſibus ſubiectarum aſpectu primum moueatur, ex his autem ad eorum, quæ ſenſus effugiunt, ſupernaturaliaque dicuntur, conſiderationem, & amorem homines excitentur, ac traducantur; nihil omnino illis prętermitti debet eorum, quæ ad rēs ſacras cum dignitate, atque amplitudine extrinſecùs etiam tractandas, adminiſtrandaſque ſpectant.

Vt autem Sanctis Apoſtolis in huiuſmodi miſsionis genere vnuſquiſque Oblatorum magis ac magis pro ſua vi ſimilis fiat; quò ſub oculis hominum viliora, difficilioraue factu erunt ea, ad quæ obeunda miſsi fuerint; ac denique quò plùs pro animarum ſalute, & Dei gloria pati illos oportuerit; eò alacriori, fidentiorique animo, iniunctam miſsionem amplectantur, exequanturque.

Cęte-

Cęterum, vt piè & laudabiliter ſe gerant, miſsioniſque munus, cum opus erit, alacriter ſuſcipiant, diligenterque obeant, ac denique miſsionis muneri planè, verèque ſatisfaciant, Sanctos Apoſtolos, ac diſcipulos à CHRISTO DOMINO multoties miſſos imitari ſtudeant; qui ſine vllo humano præſidio, ſubſidioue, primùm per totam Iudęam miſsi, diuino auxilio, & benignitate freti, iniunctum munus fortiter pręſtiterunt; atque eam eiuſdem prouidentià, & curà, ſpem, animique virtutem conceperunt, vt deinde per totum orbem Chriſti nomen humanis auxilijs deſtituti ferre, prędicareque non dubitauerint.

Horum igitur Sanctorum Apoſtolorum pręclarum exemplum, diuinamque mentem imitati, in eum, qui in CHRISTI IESV nomine illos mittet, omnem tum viatici, tum cuiuſuis alterius rei neceſſariæ curam omnino reijciant. Si quid tamen ſit, quod illum ſcire, qui mittit, intereſſe animaduertant; illud eidem, ſiue Archiepiſcopus ipſe ſit, ſiue Præpoſitus Sancti Sepulchri, patefacere non omittant.

Auaritiam non ſolum omnem, ſed leuiſsimam etiam illius ſuſpicionem prorſus fugiant.

Redditibus præterea, fructibuſque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad quorum curam aliquo tempore gerendam mittentur, ſe nullo modo inferant. Sed eo victu contenti, qui ſibi ad Reuerendiſsimi Archiepiſcopi præſcriptum aſsignabitur, vel literis patentibus, vel alia ratione explicandum, adminiſtrationem reddituum illorum Eccleſiaſticorum ab illis geri ſinant, quibus id muneris

neris incumbit, iniunctumue fuerit.

Nec verò Oblatorum cuipiam aut emolumentum aliquod à quoquam, munuſue vllum, ne minimum quidem, exiguique pretij, aut eſculentorum, poculentorumue quippiam, accipere liceat, quacunque cauſa mittantur, & qualiacunque ſint ea munera, quibus ex inſtituto Congregationis Reuerendiſsimi Archiepiſcopi iuſſu fungi illos contingat; niſi quid ab eodem Archiepiſcopo eiſdem dari præſcriptum, permiſſumue fuerit. Neque in Diœceſi tantum iſta obſeruentur, ſed in Vrbe quoque, atque in omni prorſus actionum genere, ad quas mittantur.

Quintodecimo ſaltem die à ſuo diſceſſu, & de ſtatu ſuo, & de fructu, quem Dominus per eorum labores donare dignatus ſit, Præpoſitum S. Sepulchri per literas certiorem faciant diligenter: Singulis verò menſibus Reuerendiſsimum ipſum Archiepiſcopum, aut Vicariũ eius generalem: ſed & citiùs etiam, ſi quid fortè contingat, aut ſi quid in mandatis habeant, quod eidem celeriùs ſignificandum ſit.

Priuſquàm autem ſe itineri committant; patentes literas Reuerendiſsimi Archiepiſcopi à Præpoſito S. Sepulchri accipiant: qui tum literas illas, tum alia omnia ad miſsionem neceſſaria expediri curet, illiſque præterea à Cancellario Archiepiſcopali indicem plebium, & locorum, quò quiſque mittendus eſt, deſcriptum accipiens tradat.

Vicarium deinde generalem, Viſitatores item generales, ac prӕterea proprium illius plebis Viſitatorem, ad quam mittuntur, ſi in Vrbe ſint, conueniant, vt, ſi quid illi

illi fortè habeant, quod eis ſignificandum, præcipiendumue ſit, ante profectionem accipiant.

In diſceſſu demum à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo benedictionem petant, illoque abſente, Præpoſito Sancti Sepulchri ſe ſiſtant, atque exhibeant, illorumque monita omnia accuratè cognoſcant, ac tota mente complectantur.

Ad Vicarium Foraneum ſtatim rectà proficiſcantur, eique patentes literas exhibeant.

Ab eodem quæcuique loco ad ſpiritus auxilium neceſſaria ſint, ſciſcitentur, cum eodemque conueniant de diebus, ſtatiſque horis, quibus in vnamquamque illi ſubditam parochiam venturi ſunt, vt ille interim Parochos ſuos certiores maturè faciat.

Vt Parochus Dominico die, alioue præcedente feſto, populo ſignificet, quo die aderit Oblatus, pridieque illius diei eundem populum de illius aduentu, ſono campanæ admoneat, demum verò etiam, cum aderit, ſtatim eodem campanæ ſigno illius aduentum ſignificet, eademque ratione ad ſacram concionem audiendam, cum tempus aderit, populum conuocet, diligenter curent.

Feſtis diebus, quibus frequentior, numeroſiorque populus ad Eccleſiam confluit, atque ſpiritualibus rebus maius nactus ocium facilius incumbit, Verbum Dei, pro viribus, diuerſis locis, horiſque diuerſis prædicent: manè ſcilicet, vno in loco, cum miſſa celebratur; à prandio, alio in loco, cum rudiores homines fidei Christianæ docentur principia; & veſperi, alio rurſus loco, ante vel poſt ſalutationem Angelicam, vt frequentiæ populi occaſio ſuadebit.

bit. Alijs autem diebus, quibus populi ſęcularibus curis implicati, diutiùs in Eccleſijs immorari prohibentur; ſummo mane, priuſquàm homines ad ſęcularia opera accedant, in vna Parochiali Eccleſia prædicent; veſpere autem illius diei, in altera: niſi fortè aliquando propter alicuius loci vberiorem fructum, alicubi diem totum commorari opus eſſe cenſuerint. Nullo tamen loco, vltra diem vnum, in eius generis miſſionibus, vlla de cauſa morentur, niſi Reuerendiſsimus Archiepiſcopus aliter iuſſerit.

Quibus autem locis Concionis causà occupati non ſunt, ibi in audiendis Confeſſionibus, ſi Sacerdotes ſint, atque in alijs ſpiritualibus curis ſe totos exerceant, homines inter ſe diſſentientes conciliando; vtrum mundè, ac decenter ſacra loca, vaſaque, atque omnis denique ſuppellex Eccleſiaſtica cuſtodiatur, inſpiciendo; rudiores homines in rebus chriſtianis inſtruendo; in ſcholis etiam eorum, qui diſciplinati vocantur, & alijs huiuſmodi hominum conuentibus, ad virtutem, religionemque capeſſendam fratres, ac collegas hortando; aliaque eiuſmodi officia præſtando, quæ ad animarum ſalutem procurandam accommodata ſunt.

Illa verò potiſſimùm, quæ ſequuntur, tum publicè, tum priuatim, omni ſtudio procurent.

Vt Doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ in ſingulis parochijs inſtituantur, reſtituanturue, atque ad præſcriptum inſtitutionum, ab earundem Priore generali traditarum augeantur.

Vt quotidianæ orationis veſpertinę vſus ſingulis locis

retineatur omnino, & vbi intermiſſus eſt, reſtituatur.

Vt Matutina quoque oratio poſt auroram ſtatim inſtituatur.

Vt ad Eccleſiam ſuam omni animi alacritate, & liberalitate bene inſtruendam, & ornandam, atque augendam Eccleſiaſticam ſupellectilem populus vnuſquiſque promoueatur.

Vt vel tempore ſui aduentus, vel proximo die feſto poſt diſceſſum, qui confeſſi reperiuntur, ſacram ſumant Euchariſtiam, idemque deinceps ſępius faciant. Quin etiam ad peccatorum omnium totius ſuperioris vitę vniuerſalem confeſſionem repetendam illos ſtudioſè cohortentur; eamque ob cauſam curent diligenter, vt induſtria Parochorum, auctoritateue Vicariorum Foraneorum ad ea loca, ad quę ipſi mox venturi ſunt, vel eodem tempore, vel proximo ſequenti die feſto, ex vicinis Vicis, Oppidiſue, probatiores complures vocentur Sacerdotes, qui operam ſuam ad audiendas confeſſiones omni cura, ſtudioque pręſtent.

In eam verò etiam curam incumbant, vt, qui ſint tum Cleri, tum populorum mores, ex probatis viris diligentiſſimè perquirant, omniaque notent libello aliquo, quę emendatione egere videantur, de quibus mox, cum Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, opportuno tempore, agant. Si quid autem eiuſmodi offenderint, quod pręſens poſtulet remedium; Reuerendiſsimum Archiepiſcopum, vel eius Vicarium generalem certiorem ſtatim faciant.

Qui Sacerdotes erunt, quotidie Miſſæ ſacrificium celebrent

lebrent in eo loco, in quo concionem ſunt habituri: quam quidem diebus feſtis poſt recitatum Euangelium ſtatim habeant; cęteris autem diebus, ante Miſſam, niſi aliter faciendum pręſens populi ſuaſerit vtilitas.

Qui verò Sacerdotes non erunt; tum à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo, vel à Prępoſito S. Sepulchri, quo die primùm ab Vrbe erunt diſceſſuri, tum deinde & ſingulis diebus feſtis, & ſępè etiam alias per hebdomadam, à Parocho loci, in quo erunt, vel à ſocio ſuo Sacerdote, cum bini mittentur, Sanctiſsimam ſumant Eucharistiam.

Cum primùm ad aliquem locum peruenerint; ſtatim ſe ad Eccleſiam conferant, ibique ante Sanctiſsimum Dominici Corporis Sacramentum, per aliquod temporis ſpatium, orent; tum ex Parocho, aliiſque Eccleſiaſticis, & probis viris, proprios illius populi mores, & abuſus, & deprauatas conſuetudines cognoſcant, vt ſuis concionibus vberiores fructus ea ratione incolis pariant.

Perpetuò autem apud homines Eccleſiaſticos, & Parochos potiſsimùm, hoſpitentur; vel ſi Eccleſia vacet, ſaltem in Eccleſiaſticis ædibus, ſi fieri poſsit. Sicubi autem fortè Oblatus aliquis aliud domicilium habere comperiatur, quò ipſi venerint; apud eum maneant, Sacerdotali charitate, frugalitateque, qua excipiuntur, contenti.

Quæ de muneribus reiiciendis, deque literis ad Reuerendiſsimum Archiepiſcopum, & ad Prępoſitum Sancti Sepulchri ſępiùs dandis, aliiſque multis in miſsione præſtandis pręſcripta ſunt, ſeruent diligenter; ac præ-

terea etiam quæcumque in tertio libro Conſtitutionum Oblatorum, cum titulo De pijs exercitationibus ſingulorum Oblatorum ad diſciplinæ ſpiritualis incrementum, *cum Titulo*, De exercitationibus ad proximorum ſalutem iuuandam, *notata reperiuntur.*

Illud quoque meminerint Dominica voce admoniti, vt quamcumque domum ingrediuntur, & pacem illi domui precentur, & pro ratione ſuæ miſsionis, vt vera pax inibi exiſtat, omni officio efficiant.

Reuerſi à miſsione, Præpoſito Sancti Sepulchri literas patentes reſtituant, vt eaſdem iterum, cum denuo mittentur, accipiant.

Hac igitur ratione ſe gerant Oblati, cum aliò mittentur, hæc omnia ſeruent diligenter, fideliterque præſtent.

Hæc enim Congregationis Oblatorum præſtantiora ſunt munera, vtilioreſque functiones: quare & his potiſsimùm ad Eccleſiæ Mediolanenſis dignitatem amplificandam, vniuerſęque Diœceſis vtilitatem procurandam, enixè incumbendum eſt.

In laboribus autem miſsionum, alijſue alterius generis nouiter ſuſcipiendis, atque exequendis, crebrò tum corporis, tum animi vires excitent, ſpiritualium præmiorum memorià, quibus Oblatorum tum ingreſſum ipſum in Congregationem, tum ſingulos hoſce labores Sanctiſs. Pontifex Greg. XIII. ſumma Charitate fusè, latèque proſecutus eſt.

Atque ea quidem ſpiritualia pręmia, hæc planè ſunt. Concedit enim Summus idem Pontifex omnibus quidem

dem

dem primùm, & ſingulis Congregationis Oblatis, qui & nunc, & deinceps vnquam erunt, qui totius anteactæ vitæ peccata confeſsi, Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſsionem.

Ijs quoque, qui die feſto S. Ambroſij, S. Simpliciani, & Epiphaniæ Domini, Miſſam deuotè celebrauerint; plenariam Indulgentiam.

Præterea in cuiuslibet ipſorum mortis articulo, nomen IESV MARIÆ, deuotè inuocantibus, plenariam Indulgentiam.

Item, quoties Sacramenta miniſtrabunt; Indulgentiam vnius anni.

Item, quoties ex miſsione prędicabunt; Indulgentiam trium annorum.

Item, quoties exercitationes, & functiones alias, ad Dei cultum, & proximi ſalutem præſtiterint; Indulgentiam vnius anni.

Item, quoties ex Congregationis Inſtituto ſimul congregati collationibus, colloquijſue ſpiritualibus, aut lectionibus ſacris, hortationibuſque, aut alijs pijs exercitationibus, per ſemihoræ ſpatium vacauerint, aut ad canendas litanias, aut recitandum Antiphonam BEATÆ MARIÆ, Salue Regina, vel aliam pro temporis ratione; Indulgentiam centum dierum.

Item, quoties examen conſcientiæ agent, futuræ meditationis argumentum accipient, aut rationem peractæ meditationis confeſſario, aut Præfecto ſpirituali reddent; Indulgentiam vnius anni.

Item,

Item, quoties Roſarium Beatę Mariæ Virginis recitauerint, qui conſueuerint ſaltem ſingulis Sabbatis, & vigilijs feſtorum dierum eiuſdem Mariæ Virginis illud recitare; Indulgentiam vnius etiam anni.

Item, quoties pro Oblato defuncto, ex inſtituto Congregationis orabunt; Indulgentiam trium annorum.

Item, quoties peccata confitebuntur, aut Miſſam celebrauerint; ſeptem annorum Indulgentiam.

QVANTVM PECCET, QVI PRÆSCRIPTAS Conſtitutiones non ſeruauerit.

CAP. II.

Q*VOD autem ad harum præſcriptionum, Conſtitutionumque vſum tenendum, ac ſeruandum attinet, licet ad præclaram animi inſtitutionem, atque ad veræ religionis, omniumque Eccleſiaſticarum Virtutum conſecutionem, progreſſumque ſpiritualem perutiles, atque perneceſſariæ illæ ſint; ſi quem tamen eas aliquando non ſeruare contigerit, non plùs illum tunc peccare declaratur, decerniturque, quàm præuaricationis ipſius, operiſue, in quo peccatum eſt, ratio alias poſtularet.*

LAVS DEO.

LIBRI I.

DE ſcopo Oblatorum, & Congregationis illorum fuudamentis. Cap. I. pag. 1
De conditionibus eorum, qui in Congregationem Oblatorum recipiendi ſunt. Cap. II. pag. 3
De forma Oblationis. Cap. III. pag. 5
De ijs, quæ ab Oblatis præſtari debent. Cap. IV. pag. 8
De conditionibus ad votum cum ſubiectionis bonorum, & fructuum, tum paupertatis pertinentibus. Cap. V. pag. 14
De Ratione adminiſtrationis fructuum Archiepiſcopi obedientiæ ſubiectorũ. Cap. VI. pag. 16
De Ratione votorum ſupra expoſitorum. Cap. VII. pag. 17
De facultate, & ratione excludendi Oblatos à Congregatione. Cap. VIII. pag. 17

LIBRI II.

DE varijs Oblatorum Domibus, & familijs. Cap. I. pag. 20
De Collegiatis Domibus. Cap. II. pag. 22
De Domibus Conuictorum. Cap. III. pag. 26
De Oblatorum habitatione in Domibus Seminariorum, Collegiorumue piorũ. Cap. IV. pag. 27

De Oblatis communis vitę inſtitutum non exercentibus. Cap. V. pag. 28
De Hoſpitio Oblatorum. Cap. VI. pag. 29
De Oneribus à Congregatione non recipiendis. Cap. VII. pag. 30

LIBRI III.

DE Pijs exercitationibus ſingulorum Oblatorum ad ipſorum Diſciplinæ ſpiritualis incrementum pertinentibus. Cap. I. pag. 31
De exercitationibus ad proximorum ſalutem iuuandam pertinentibus. Cap. II. pag. 39
De exercitationibus Oblatorum vitam communem ſimul degentium. Cap. III. pag. 46

LIBRI IV.

DE ijs, quæ ad Oblatorum miſſionem pertinent. Cap. I. pag. 50
Quantum peccet, qui pręſcriptas Conſtitutiones non ſeruauerit. Cap. II. pag. 62

F I N I S.

P. Galeſinius Proton. Apoſt. pro Illuſtriſs. Archiep. & pro R. Inquiſitore.

CONSTITVTIONES CONGREGATIONIS OBLATORVM S. AMBROSII,

Ad vniuerſam curam, & adminiſtrationem eiuſdem Congregationis, ſingularumq; Domuum, & Conſortiorum pertinentes,

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.
D. FEDERICI TIT. SANCTÆ MARIÆ Angelorum, S.R.E. Presbyteri Cardinalis, Sanctæq; Mediolanenſis Eccleſię Archiepiſcopi iuſſu editę.

FEDERICVS
Tit. S. Marię Angelorum S.R.E. Presb. Card. S. Mediolanen. Eccl. Archiep.

Ad perpetuam rei memoriam.

COLLEGIVM Oblatorum S. Carolus cùm inſtituiſſet, vt peteret inde idoneos miniſtros ad obſequium omne Paſtorale, huic ordini ſtatuerat dare leges, quæuè ad animi cultum, & cœleſtes curas, quæuè ad hæc humanarum neceſſitatum inferiora meditamenta

pertinerent. Sed alterum præſtitit ille quidem; deſcripſitq; ſaluberrimis præceptis, & optima ratione diſciplinam: alterum verò cum agitaret, migrauit ex hac vita. Nos ad eandem vigiliam diuina benignitate vocati, debuimus hac etiam in parte deſtinata S. Paſtoris ſequi conſilia, & reliquias illius magnæ mentis attenta religione cuſtodire. Damus igitur Oblatorum familijs has leges, & hæc domeſticum regimen amplectentia decreta, quæ iam antea mandato noſtro præſentibus ipſis promulgata fuere, eamq; recognitionem in acta refferri mandauimus; Volumuſq; vt inuiolabiliter huiuſmodi decreta executioni mandentur, ſimul cum Regulis, quæ ita inſcriptæ reperiuntur: Inſtitutionum ad Oblatos S. Ambroſij pertinentium Epitome in libros 4. diſtributum. *Si quid addi, demi, mutariuè rerum viciſſitudo, vel ipſa dies poſtulabit, liberum id nobis, integrumque reſeruamus: contraria, & repugnantia ſi quæ conſtituta reperiuntur, aut conſuetudine confirmata, ea tollimus, & abrogamus.*

Mediolani ex ædibus Archiep.

A tergo.

A tergo. Dilecto filio noſtro Federico Tit. S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletianis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato.

Intus verò

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectè fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut accepimus, bo. mem. Carolus Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Eccleſiæ Mediolanen. dum vixit Præſul, Congregationem Oblatorum in Ciuitate Mediolanen. fundauerit, & pro illius bono regimine, tùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus, diuerſa ſtatuta, regulas, & ordinationes per eandem Congregationem obſeruandas ediderit, animo illas, pro vt experientia docuiſſet, auctoritate etiam Sedis Apoſtolicæ, qua ſuffultus erat confirmandi, & approbandi; ſed cum morte præuentus id facere non potuerit Nos de tua pietate, prudentia, zelo, & integritate plurimum in Domino confiſi circumſpectioni tuæ Eccleſiæ prædictæ Mediolanen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica ſimilitèr Præſuli, quoad vixeris quando, & quoties tibi videbitur expedire ſtatuta, regulas, & ordinationes

prædictas, auctoritate noſtra, examinandi, eaq; aut confirmandi, & approbandi, aut mutandi, & alterandi, & alia de nouo condendi, eaq; etiam confirmata, & approbata, aut mutata, & alterata, & de nouo condita deinceps, quandocunq;, & quotieſcunq; paritèr expedire iudicaueris, iterum ac pluries mutandi, alterandi, caſſandi, annullandi, renouandi, aliaq; de nouo condendi, & ea confirmandi, & approbandi, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, etiam ſub cenſuris, & pęnis eccleſiaſticis arbitrio tuo infligendis, declarandis, & moderandis, obſeruari mandandi, & faciendi, contradictores quoſcunq;, & inobedientes per eaſdem cenſuras, & pœnas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, cogendi, & compellendi, aliaq; in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeù quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, plenam, liberam, & amplam facultatem, auctoritate Apoſtolica prædicta, tenore præſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcator. die 5. Decembris M.D.C. Pontif. noſtri Anno nono

M. Veſtrius Barbianus.

Loco ✠ Sigilli.

DE

DE ARCHIEPISCOPI

In vniuerſam Oblatorum Congregationem poteſtate, & illorum obedientia.

QVONIAM Congregationis fundamentum ex Sancti Caroli præcipua Inſtitutione, in obedientia potiſſimũ, quæ ſimplicis voti nomine nuncupatur, Mediolanen. Eccleſiæ Archiepiſcopo præſtanda conſtitutum eſt, ſinguli propterea in hanc Congregationem cooptati illius voluntati, à quo omninò pendent, ſe conformare ſtudebunt, & quæcunque is ad huius Eccleſiæ vtilitatem imperauerit, promptè exequentur. Cùm item vniuerſæ Congregationis cura, & adminiſtratio penès eundem Archiepiſcopum ſit; Nos idcircò eum, & illius regimini diligenter inuigilaturũ, & paterna animi charitate eandem amplexurum, & Præpoſitum Generalem, cæteroſq; Miniſtros

intra

intra iuris limites omni ſtudio protecturum planè confidimus, eoq; magis vbi fructus in dies vniuerſo Clero, & animabus ſuæ fidei diuinitùs traditis indè redundantes intuebitur.

Quoties Archiepiſcopus in Vrbe fuerit, optamus, vt negotijs quæ pro Congregatione tractanda erunt, non modò auctoritate præſit, ſed eadem, ſi id rei grauitas poſtulabit, præſens videat, & quod illi vtile, ac commodum videbitur decernat.

Inſuper identidem Præpoſitum Generalem ad ſe adſciſcat, vt de omni Congreegationis ſtatu, de eorum maximè qui ad Prædicationem verbi Dei, viſitationem, & adcætera eius generis per Diœceſim miſſi fuerint, accuratè admoneatur. Quoties verò aliqua in re auxilium deſideratum fuerit, illud paterno quo debet affectu daturum ſperamus.

Exoptamus præterea vt bis ſaltem in ſingulos annos Sancti Sepulchri Ædes, & eius partes omnes exquiſita diligentia viſitet, quoſque ibi moram trahentes recognoſcat, de rebus ad munera tam diuina, quam humana pertinentibus inquirat quam diligentiſſimè, & ſi quæ deſiderantur facienda imponat.

Vbi verò abſens, vel impeditus fuerit, ad hoc viſitationis munus deligere poterit Vicarium ſuum Generalem, aut alterum virum magni conſilij, & virtutis.

Interim tamen Viſitatores Generales per Capitulũ, vt

inſe-

inferius, declarati, ſuo munere omninò fungantur.

Et quemadmodum ius mittendi Oblatos modò per Vrbem, modò per Diœceſim ad ea charitatis, ac obedientiæ munera obeunda pro quibus Congregatio inſtituta fuit Archiepiſcopi proprium eſt, ita eo abſente, vel ſede Archiepiſcopali vacante ad Vicarium Generalem pertinebit; Qui tamen audito Præpoſito Generali ſolùm idoneos deligat.

Qui deindè declarati fuerint, commiſſum munus ne obeant, niſi ſcriptis impetrata ab Archiepiſcopo, vel Vicario Generali facultate.

DE CAPITVLO GENERALI.

CApitulum Generale huius Congregationis ſemel quotannis celebrabitur, feria ſtatim ſecunda poſt octo dies Chriſti Corporis ſolemnitate celebres, ſæpiùs item, ſi ita Archiepiſcopo videbitur.

Certus locus ad quem omnes conueniant, Domus S. Sepulchri conſtituitur; Quod ſi loci mutationem legitima occaſio poſtulauerit, Archiepiſcopus eum deligat quem voluerit, etiamſi in Diœceſi.

Vbi præſtituta dies venerit in Capitulo agatur de omni Congregationis ſtatu, de progreſſionibus ſpiritualibus, de rebus omnibus ad Congregationis vſum

perti-

pertinentibus, quas, quia graues Archiepiſcopo viſę fuerint, is communi conſilio tractari voluerit. Nihil tamen proponant niſi de Archiepiſcopi, aut ſi is abſit, eius qui præeſt auctoritate.

Si quid etiam de Archiepiſcopi, quamuis præſentis, aſſenſione, ſeù aliàs propoſitum fuerit, receptumuè ſuffragijs, id omninò irritum eſſe volumus, niſi eiuſdem litteris nominatìm comprobetur.

Quoties Archiepiſcopus præeſſe non poterit, Præpoſitus Generalis in eius locum ſufficiatur.

Vbi tamen de Præpoſito ſucceſſore, & de cæteris Miniſtris Generalibus renunciandis conſultetur, Præpoſitus, ac ſinguli Miniſtri etiam cuiuſuis familiæ, Vrbis, & Diœceſis Mediolanen. poteſtatem quam obtinent deponant, tum vnus ex antiquioribus Congregationis ab Archiepiſcopo, ſi nõ aderit electus, qui duo vota nuncuparit, huic conſultationi præſideat, vel alius quem experientia, & vſu magis idoneum iudicarit.

Huic autem Generali Capitulo ij aderunt qui inferius enumerantur, atque ſuffragij ius habebunt, quamuis ſua quiſque munera coram Capitulo, ſicuti ſtatutum eſt, renuntiarit.

Hi porro ſunt.

Præpoſitus Generalis.

Viſitatores duo.

Totidem

Totidem Conſultores, pluresue.
Aſſiſtens Monitor.
Præfectus Spiritualis.
Procurator.
Prępoſiti cuiuſuis domus, qui vitam cõmunem agunt.
Præpoſitus cuiuſuis Conſortij Diœceſani, ſi conuentus ſtatis temporibus vt plurimum ab ijs habeatur.
Rector cuiuſuis Seminarij, Collegijue Adoleſcentum, qui tamen Oblatus ſit.
Omnes item qui paupertatis, aut ſubiectionis ſuorum bonorum votum vouerint, ij tamen Sacerdotes ſint, & triennium in Congregatione laudabiliter commorati.
Vbi Oblatorum numerus creuerit, Archiepiſcopus propter locorum diſtantiam ab hoc conueniendi onere immunes faciat, quos voluerit, ne Eccleſiæ ſuis nudatæ Paſtoribus detrimenti quicquã capiant.
Poſſit item ad has conſultationes, præterquam ad Miniſtrorum creationem, Oblatos quoſcumque alios conuocare, quos negotijs quæ tractantur, opportunos cenſuerit, modò ſint ſacerdotali nota inſigniti.
Quæuis Oblatorum domus, & Conſortium ſiue in Vrbe, ſiue in Diœceſi extet, ſi tamen Oblatis duodecim conſtet, & ſtatis temporibus congregari ſoleat, ſacerdotem è ſuo Collegio, ſeù Conſortio tribus iam annis oblatum deligat, qui ad Capitulum

Generale celebrandum conueniat.

Ij omnes, & ſinguli ſuffragia ferre poſſint etiam pro Præpoſiti, Miniſtrorumuè omnium deliberatione; Illud verò ratum firmumuè habeatur, quod ex tribus partibus duæ probarint, ſi tamen Archiepiſcopo ita videbitur, qui liberam ſemper, & eligendi, & approbandi poteſtatem habet.

Sigillum quod ad opportuna Congregationis negotia inſeruiat, eiuſmodi eſſe placet, vt cum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, tum Patroni noſtri Diui Ambroſij effigies in ſublimi loco ſignata, aut inſculpta ſit, ſub his præterea, Sanctus Carolus paſtorali veſtitu indutus ita imprimatur, vt quos ſub tutela Diui Ambroſij recipit, eidem offerat, & commendet.

DE RATIONE CREANDI PRÆPOSITVM cæteroſuè Miniſtros Generales.

PRæpoſitus cæteriq; Miniſtri, quorum curæ vniuerſa Congregatio commendanda eſt, ne deligantur, niſi qui à reſidentiæ beneficijs omninò liberi ſint, quiuè annis ſaltem quinque poſt ſacerdotium in Congregationis muneribus rectè vixerint.

Sint præterea in ſpiritualis, & ſanctæ vitæ ratione ità verſati, vt quæcunq; verbis alios docebunt, ea factis exprimant ſuis.

Qui-

Quicunque Miniſtri ſacerdotes ſint, præter Scribam, & Procuratorem, quos, modò ſacris initiati Ordinibus fuerint, ad id muneris idoneos declaramus.

HÆC AVTEM IN PRÆPOSITI *electione omninò ſeruentur.*

IMploretur primò Spiritus Sancti auxilium.

Tum ea, quæ de Præpoſiti Generalis electione, de modo celebrandi Capitulum Conſtitutiones docent, diſtinctè, & alta voce legantur.

Tum conditiones neceſſariæ in illis qui ad hæc munera, & officia vocandi ſunt.

Nomina denique eorum qui in Congregatione per quinquennium poſt Sacerdotium nullo aſtricti reſidentiæ beneficio vixerint, quiuè ad hæc officia per idonei habentur.

Capitulum deindè Generale tres huius Congregationis Sacerdotes, & iiſdem quos diximus, virtutibus ornatos, per ſecreta ſuffragia nominabit.

Ex his verò tribus Archiepiſcopus Præpoſitum eum deliget, quem pro ſuo iudicio cæteris, & probitate, & prudentia antecellere iudicauerit. Atq; id illum perpetuò præſtiturum ſperamus, cum Dei honorē, animarum ſalutem, huius Congregationis vtilitatē ſibi ante oculos proponet.

In ferendis verò ſuffragijs hæc lex cuſtodiatur, vbi prius orationi mentali modicum temporis attribuerint; Archiepiſcopus, aut ſi abſit, Præſes, tres ex grauioribus, antiquioribusuè deligat, qui ſuffragiorũ curæ fideliter aſſiſtant.

Qui ad id muneris electi fuerint, illud ne obeant, priuſquam ante Crucifixi imaginem, qui ſupra menſam decenti ſtragulo conſtratam collocabitur, ea iuſiurandi formula, quæ infraſcripta eſt, iurarint, quam & à ſcriba præſtari omninò iubemus.

Ego N. teſtem inuoco Deum, me in hoc ſuffragiorum munere fidelem pręſtiturum, & ſingulorum verum numerum relaturum, nullumq; electorem patefacturum.

Super eandem menſam vrna parata ſit, ſchedulæuè plurimæ, in quibus ita ſcriptum legatur, Nomino Præpoſitum Generalem, relicto ſpacio eiuſdem nominis ſcribendi.

Facto ſicuti præſcripſimus, iuramento, ſcriba hæc ſtatim alta voce pronunciabit. In nomine Sanctiſſimę Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ſuffragia ſinguli ordine ferant.

His auditis quiſque aſſurgat, & ad menſam quæ ab omnium oculis nonnihil remota erit, accedens, primò ante Crucifixi figuram genua flectat, deindè ſe crucis ſalutifero ſigno muniat, tùm vnam à ſchedu-

lis

lis ita aſſumat, vt ab omnibus conſpiciatur, tum eorum quos elegerit, nomina, & cognomina mentito quantum poterit charactere, conſcribat.

Ad ſuum autem nomen inſcribendum, quod Congregationis ſigillo, adhibita cera, contegi debet, vt non modò ſuffragium ſecretò detur; verùm etiam, vt ſi qua fraus ſubſit, depræhendatur, conſuetam manũ adhibeat.

Poſtremò ſchedulam in hunc modum conſcriptam complicet, & complicatam altiùs attollens in vrnã conijciat, ſuumq; ſtatim locum repetat.

Poſt hæc, qui ad menſæ cuſtodiam iam electi ſunt, eidem cum ſuffragia afferenda erunt aduerſa erga cæteros facie adſiſtant.

Scriba verò vrnam capiat, eandemq; ſæpius agitet, vt ſchedulæ inter ſe miſceantur, confundanturuè, deindè ſingulas, prout ſors tulerit, cum ſigilli impreſſione educat, eaſque ſtatim ſuffragiorum curæ aſſiſtentibus tradat: Porrò ij Archiepiſcopo, aut Præſidi eaſdem oſtendant.

Qui plura ſuffragia dimidia parte tulerint, ij ſinguli nominati cenſeantur, vbi verò plures, quam tres nominabuntur, ij ſolum tres, qui plura ſuffragia habuerunt nuncupati exiſtimentur, & ſi vota fuerint paria Iunior ex nominatis prætermittatur.

Quod ſi primo non ſucceſſerit, iterum ſuffragia eadem

ratione

ratione ferantur. Quod ſi adhuc electio ſuum non ſortita fuerit finem ſuffragia denuo afferantur.

Hoc item perpetuò ſeruetur, vbi ſuffragia propter aliquam cauſam continuanda erunt.

Ex ijs autem nominatis Archiepiſcopus ipſe, penes quem creandi, ex ſuo arbitratu poteſtas omninò manet, vnum eligat, & creet Præpoſitum Generalem, qui hoc modo creatus, quod, & reliqui Miniſtri, præſtare debent, promptè impoſitum ſibi onus ſubeat, nam ſicuti Deus illius humeris illud impoſuit, ita & opportunas vires ad id ſuſtinendum miniſtrabit.

Archiepiſcopus ſi aderit, & propter aliquam rationem à Capitulo alios nominari voluerit, id ſine mora fiat ante illius abſolutionem; ruſus ſi alios, idem omninò præſtetur, Archiepiſcopus tamen ex omnibus nominatis vnum deligat, & Prępoſitum Generalem declaret.

In electione item aliorum Miniſtrorum vniuerſę Congregationis, hęc eadem ratio ſeruetur, Cui pręterea illud addi volumus, vt in ſchedulis officij nomen, de quo tunc ſuffragia ferenda, ponatur. Ij tamen cenſeantur nominati, qui plura ſuffragia tulerint, etiamſi dimidiam eorum partem nõ excedant. Atq; ipſorum creatio ad Archiepiſcopum ſpectet.

Prępoſitus, ſicut & cęteri omnes Miniſtri per duos

annos

annos tantum creetur; eo tranſacto tempore, ad id muneris nec nominati, nec admitti ruſus poſſit, officio perfunctus, ſaltem biennio ab eodem munere vacet; Poſſit tamen, ſi Archiepiſcopo videbitur ob legitimam cauſam ad annum, ſeu plures confirmari.

Si Prępoſitus eo conſilio, vt diutius in officio perſeueret, ſtatutum diem pro habenda Congregatione Archiepiſcopo ſignificare nolit, aut negligat, aut in aliud differat tempus, elapſo biennio, officij amiſſione plectatur, ac in poſterum pro minimè idoneo habeatur.

Huic verò muneri, donec alter creetur is ſuccedat, qui, ſi Prępoſitus è vita decederet, legitimè ſucceſſiſſet vti infra declarabitur.

Aſſiſtens, qui Monitoris officio fungitur, cæterique Miniſtri Generales rem totam ad Archiepiſcopum opportunè deferant; Secus ea pœna plectantur, vt nec eligere, nec eligi ſuffragio poſſint.

Si Præpoſitus, vel quiuis Miniſter Beneficij, officijuè reſidendi munus annexum habentis non impeditam poſſeſſionem obtinuerit, ſua quiſque ſtatim adminiſtratione, ac auctoritate priuatus intelligatur.

Præpoſiti autem locum, ac poteſtatem, donec alter eligatur, obtineat, cui is, ſi deficeret, ſuccedendi ius eſſet.

DE PRÆPOSITI GENERALIS, aliorumuè Vniuerſæ Congregationis Miniſtrorum officio.

QVI Præpoſitus declaratus fuerit, is vniuerſæ Oblatorum Congregationi præſit, ita tamen, vt non minus, quam cæteri Oblati ab Archiepiſcopi nutu, atq; obedientia in his maximè rebus quas ipſæmet Conſtitutiones præcipiunt, omninò pendeat.

Si quis Oblatus aliqua in re offenderit ius pænès eundem ſit, ſalutarem illi pœnitentiam imponendi; Vbi verò publica correctione aut pœna indiguerit, Archiepiſcopo illam adhibendam penitus relinquat cum illius Decretis, correctionibus, iuriſdictioni, Oblati omnes, & Præpoſiti non ſecus, ac reliqui Diœceſis Clerici ſubdantur.

Vbi longius ab Vrbe Archiepiſcopus fuerit, vel in Diœceſi commoretur, Præpoſitus Generalis, quoties opus fuerit, omninò autem ſemel in menſe illum de omni Congregationis ſtatu certiorem faciat.

Aſſiſtens verò Monitor, Conſultores, & Viſitatores idem ſingulis menſibus præſtent; Reliqui autem Miniſtri tertio quoque menſe & haſce noſtras Conſtitutiones omninò ſeruent.

Si autem Archiepiſcopum diutius abeſſe contigerit,

Præ-

Præpoſitus Generalis ſingulis omninò annis illum ſimul cum aſſiſtente conſiliario adeat, vt, cùm Congregationis ſtatum ei aperiat, tum, vt ab eo & ſpiritus incrementa, & pro Congregatione rectè adminiſtranda conſilium capiat.

Quod ſi Præpoſitus morbo, aut iuſta de cauſa impeditus fuerit, antiquior Viſitator, aut Conſiliarius inuiolatè idem præſtent.

Et quoniam ſpiritualium Congregationum vera nutrix, ac quaſi earum forma obedientia eſt, quæ nec diuturna eſſe vnquam poteſt niſi à libera animi voluntate, & dilectione proficiſcatur; ideò ad hanc Prępoſitus in Cõgregatione fouendam nihil aptius Chriſtiana charitate arbitretur.

Præpoſitus igitur amantiſſimi Patris viſcera induens omnes paternæ charitatis vinculo ſibi deuinciat, vt ex hoc affectu obiurgationes omnes, ac mandata proficiſci videantur.

Singularem viuendi rationem, niſi aliud, aut corporis imbecillitas, aut iuſta cauſa exigeret, quam maximè fugiat.

In veſtitu inſuper, & totius corporis habitu cæteris modeſtiæ, & parſimoniæ exemplum ſe præbeat.

Singulis hebdomadis diem certum habeat, quo Miniſtros ad conſultationem de rebus Congregationis habendam conuocet.

Viſitet item vnà cum Aſſiſtente Monitore Ædes, & ſingulos Congregationi adſcriptos ſemel ſaltem quotannis inuiſat.

Vbi res difficilis, aut graue aliquod negocium ad ipſammet Congregationem pertinens inciderit, quod Præpoſitus de ſola conſultorum ſententia expedire minimè poſſit, Viſitatores, Vicarium, aſſiſtentem Monitorem, Procuratorem, Præfectum ſpiritualem, alioſq; Oblatos, ſiue domi, ſiue foris vitam trahentes, eos etiam, qui beneficia Eccleſiaſtica perſonalis reſidentiæ obtinent, & prorſus omnes, prout negotij ratio poſtularit, ſui conſilij ſocios adſciſcat.

Ad optimam præterea vniuerſæ Congregationis, Ædiumque S. Sepulchri gubernationem, Miniſtros, qui mox ſequuntur, habeat, quorum ope, & adiumento, quoties opus fuerit, vtatur.

Aſſiſtentem Monitorem, vnum.

Conſiliarios ſaltem duos.

Viſitatores, duos.

Procuratorem Generalem, vnum.

Præfectum ſpiritualem, vnum.

Scribam vnum, ſeu Cancellarium vnum.

Hi omnes præter Scribam, in Officialium Congregationibus ſuffragij ferendi ius habeant; *Si quid verò* de officialium generalium conſenſu, vel conſilio faciendum eſt, id ratum, quod eorum maiori parte

pla-

placuerit, omninò habeatur. Si verò paria vota ſint, illa pars vincat, ad quam Præpoſitus inclinauerit.

DE ASSISTENTIS MONITORIS Officio.

ASſiſtens Monitor pręter conſultationis munus, quod idem omninò cum cæteris Conſultoribus habebit, Prępoſitum inſuper, ea, qua debet modeſtia, & grauitate non modò de ijs rebus, quæ ipſius Præpoſiti vitam, moresuè attingunt, verùm de ijs etiam, quæ ad rectam Congregationis bene gerendæ rationem pertinent, piè admonebit.

Qui aliquid ad ſe referunt, de quo Præpoſitus admonendus verè ſit, eos benignè, atq; humaniter excipiat.

Dum hoc officio fungitur, caueat, ne odio, neuè gratię aucupandæ cauſa vnquam moueatur, ne modeſtię, aut honeſtæ libertatis fines tranſiliat. Viſitationis munus vnà cum Præpoſito obibit.

DE CONSVLTORVM OFFICIO.

COnſultores duo, aut plures eligantur iuxtà Congregationis amplitudinem, Ii tamen ętate graues ſint, vt de rebus, quæ in dies euenerint, vnà cum Præpoſito conſultationem, deliberationemuè habeant.

Ii præterea fidele conſilium dabunt, & quod ad maiorem Dei gloriam, & totius Congregationis Animarumuè vtilitatem conferre iudicabunt.

Item illi ſolum conſultationis ſuffragia habebunt.

Præpoſito autem cognita eorum ſententia deliberare, & quid ad maiorem Dei gloriam, & Congregationis fructum eſſe cognouerit ſtatuere omninò integrum eſse volumus. Nunquam tamen ab eorum conſilio, niſi legitima, aut probabili ratione diſcedat, & hæc quoad Conſultores, in reliquis verò, quę iam pręſcripta ſunt, ſeruentur.

DE VISITATORVM OFFICIO.

QVI Viſitatores declarati fuerint, ſemel ſingulis annis vniuerſam Congregationem viſitabunt, ac omnes ad ſuſceptam viuendi rationem, ſtrenuè, piequè proſequendam hortabuntur.

Vbi verò quid reperient, quod remedium propter Dei honorem, & Congregationis vtilitatem deſideret, diligenter illud animaduertant, vt ſalutaris medicina adhibeatur.

Nihil noui decernant, aut pręſcribant, ſtatuantuè, ſed omni ſtudio curent, vt quæ iam conſtituta, ſancitaquè ſunt, exactè inuiolatèque ſeruentur.

Totius deinde viſitationis rationem Archiepiſcopo ſi aderit,

aderit, & Præpoſito Generali aperiant, vt vniuerſę Congregationis ſtatu cognito, pro rei neceſſitate opportuna remedia adhibeantur. Si Archiepiſcopus abſit, idem præſtet Præpoſitus, de conſilio tamen Congregationis.

Si verò quid graue accidat, quod in longius tempus differri poſſit, totius Congregationis votum de ea re ad Archiepiſcopum deferat, vt pro ſua prudentia, ac auctoritate proſpiciat.

DE PROCVRATORIS OFFICIO.

PRocurator non ſolùm vniuerſę Congregationis negotia, ſed etiam vniuſcuiuſq; Oblatorum familiæ, quæ vel Mediolani, vel foris in Diœceſi ſit, aut quæ aliquando inſtituetur, diligenter, vbicunq; tractanda erunt, procurabit.

Priuatum item negotium, prout Præpoſitus mandarit, identidem ſuſcipiet.

DE OFFICIO SCRIBAE.

SCriba Præpoſiti nomine litteras ſcribat, & reſcribat, eaſq; in codicem referat.

Nomina item, mores, geſta, aliauè huius generis eorũ, qui in Cõgregatione iam adſcripti, aut deſcribi voluerint, ſeparatim litteris conſignet.

Diplo-

Diplomata inſuper, Regeſta, & cuiuſq; generis libros, qui Congregationi vſui eſſe poterunt, diligenter conficiat, atque eos certo loco accuratè aſſeruet.

DE ADMINISTRATIONE Domus S. Sepulchri.

QVod ad S. Sepulchri Domum attinet, ſi Oblati pauci numero fuerint, totius Congregationis Prępoſitus, Conſultores, Aſſiſtens, Monitor, Procurator, & Scriba, præter publicum munus, quod in vniuerſa Congregatione regenda obtinent, ſinguli etiam peculiare aliquod officium in ea Domo, vbi moram trahunt, habere poſſint, donec Archiepiſcopo viſum fuerit.

Vbi deinceps Oblatorum numerus augebitur, peculiares Miniſtros Archiepiſcopus conſtituat vt Generales Miniſtri anteà nominati ſuo munere accuratiùs fungantur. Præpoſitus tamen eorum regimini præſit.

Inſuper Præpoſitus, cæteriq; Congregationis Miniſtri in ijſdem S. Sepulchri Aedibus ſemper, et eo conſilio habitent, vt quodcunq; munus, quod illis Archiepiſcopus iniunget, ſiue in Vrbe, ſiue in Diœceſi, promptè exequantur.

Qui in Vicarium Domus S. Sepulchri creandus eſt, vnus

vnus ſit è Sacerdotibus, aut Miniſtris Generalibus, non modò probitate vitæ, verùm etiam rerum vſu, atque prudentia inſignis, qui Prępoſiti abſentis, vel impediti vices gerat.

Nihil tamen innouet, aut immutet ſine illius facultate.

Adiutor præterea illi ſit, qui ad inferioris domus miniſteria incumbat.

Pro Vicarij item electione Præpoſitus, de Miniſtrorum tamen Generalium conſenſu, tres nominabit, è quibus Archiepiſcopus aptiorem pro ſuo iudicio eliget. Cæterùm ea omninò ſeruentur, quæ in capite de cuiuſq; domus adminiſtratione præſcripta fuerunt.

DE ADMINISTRATIONE cuiuſq; Domus, & Conſortij.

VӔque Oblatorum Domus, ac Conſortium, communem vitam degentium, etiamſi ex Oblatis Beneficium Eccleſiaſticum perſonalis reſidentiæ obtinentibus conſtet, hos Miniſtros habebit, Præpoſitum, Vicarium, Præfectum ſpiritualem, Aſſiſtentem Monitorem, Conſultores duos, Procuratorem, & Scribam.

Hi ſinguli in cuiuſq; Domus, ac Conſortij adminiſtratione officij ſui partes diligentiſſimè præſtent, prout de Miniſtris S. Sepulchri ſancitum fuit.

Harum

Harum Domuum, & Conſortiorum Præpoſiti Oblatis, ſi quid leuiter offenderint, ſalutarem pœnitentiam imponant.

Conſortiorum item Præpoſiti Oblatos ſtatutis diebus ad Conſortia non accedentes priuatim primò admoneant, mox Conſortij ſpirituali Præfecto, & Scriba præſentibus, niſi legitima cauſa impediti abfuerint, ſalutarem pœnitentiam iniungant.

Qui verò eorum iuſſa neglexerint, aut impoſitam pœnitentiam recuſarint, aut contumaciter ſe defenderint, ad Præpoſitum generalem deferantur, qui Archiepiſcopum de tota re certiorem faciat, curetuè vt ab eo accerſiti non modò arguantur, ſed etiam, prout quiſque peccarit, grauiter puniantur.

Si autem in errore pertinaciter perſeuerauerint, de Congregationis albo expungantur.

Præfectus ſpiritualis ſingulos ſui imitatione in omnibus pijs exercitationibus, ac in oratione præſertim, quæ ſolo mentis motu fit, & propterea mentalis appellatur, erudiat, eos maximè qui in Congregationem nuperrimè adſcripti ſunt, erga quos omnes, ea ſit animi affectione, qua parentes erga filios eſſe conſueuere.

Cùm Præpoſito res graues conferat, & ſi quos illius conſilio, atq; adiumento indigere exiſtimauerit, ad illum ſtatim eos mittat, vt ſalutarem medicinam recipiant.

Pro-

Procurator Oeconomi Officio fungatur, reſq; omnes familiares tueatur, & adminiſtret. Pecuniam verò, quam exegerit, in capſa ad hunc vſum conſtituta collocet, quæ duabus clauibus inter ſe diuerſis claudatur, quarum altera à Præpoſito, à Vicario altera aſſeruetur.

Confeſſiones, quas appellat, de exactis, ſeu receptis pecunijs per publicas tabulas conficere poſſit. Nullo tamen modo contractus inire, aut Congregationem, aut illius bona obligare poſſit, niſi ei a Præpoſito, Capituloque Domus, vel Conſortij, pro quo res agitur, opportunè mandatum fuerit.

Archiepiſcopi præterea licentiam vbi opus fuerit ſcripto exaratam obtineat, ita vt nihil ex ſolemnibus quę ab ipſo iure, vel etiam ab ipſis Prouincialium, Dioeceſanarumq; Synodorum Conſtitutionibus requiruntur, planè deſit. Aliter contractus omnes omninò irritos eſſe declaramus.

Scriba cuiuſq; Domus, cenſus, & ſumptus in codicem accepti, & expenſi ordine referat, atque libellos, qui ad calculi rationem ſpectant in Tabulario accuratè cuſtodiat.

Conuentibus, ac Capitulis, quæ in quauis Oblatorum Domo, & Conſortio habebuntur, non modò hi Miniſtri omnes interſint, iureq; ſuffragij vtantur, verùm etiam reliqui, qui iam per triennium in Oblatorum numero laudabiliter vixerint.

In ijs porrò Capitulis de rebus ad eam familiam, domumuè pertinentibus conſultatio habeatur.

DE CREATIONE MINISTRORVM cuiuſque Domus.

ARchiepiſcopus Præpoſitum, ac Miniſtros cuiuſuis Oblatorum Familiæ, & Conſortij, audito Prępoſito Generali, ſi ei ita placuerit, pro ſuo arbitratu deliget, ac creabit.

Qui verò eligendi erunt, Sacerdotali ordine inſigniti ſint, & quem ad Præpoſiti munus deligi oportebit, iam quinquennio in Congregationem adſcriptus ſit, cæteri autem triennio, præter Procuratorem, & Scribam.

Qui ab Archiepiſcopo creati fuerint, in Capitulo generali renuncientur.

Præpoſitus cuiuſq; Domus Conſultationi, quæ habebitur de creandis, & conſtituendis Miniſtris inferioribus propriæ Domus ſemper interſit.

Horum autem adminiſtratio biennio duret, & amplius, ſi ita Archiepiſcopo placuerit.

DE ADMINISTRATIONE CONGREgationis mortuo, ſeù deficiente Præpoſito.

MOrtuo generali Præpoſito, qui in Congregatione antiquior fuerit nullo reſidentiæ beneficio

ficio aſtrictus ex ijs, qui in Ædibus S. Sepulcri degunt, in eius locum ſuccedat, ac vniuerſam Congregationem, donec alter creetur, adminiſtret.

Vbi verò ſede Metropolitana vacante Præpoſitus Generalis officij ſui tempus expleuerit, in officio tamen tandiu perſeueret, quamdiu nouus Archiepiſcopus creetur, qui nouum Præpoſitum conſtituat.

Idem de cæteris Miniſtris Generalibus, & cuiuſuis familiæ, & Domus omninò ſeruetur.

Sede item vacante nullo modo Eccleſię Metropolitanę Capitulo quicquam innouare liceat, quod huius Congregationis ſtatum attingat, neq; aliquid decernere, aut iam decretum abrogare, neque eius Conſtitutionibus derogare, neuè Miniſtros amouere, vel mutare, vel nouos creare, nec quicquam demum noui agere, quod ad vllam huius Congregationis immutationem pertineat.

Atque hæc de Generalibus Conſtitutionibus, iam ad aliquot particulares quę Oblatorũ ſunt, accedamus.

DE DIVERSIS GRADIBVS Oblatorum.

CVM in vniuerſa Oblatorum Congregatione Miniſtri eſſe debeant, qui pro Archiepiſcopi arbitratu ad multiplices atq; pios huius Mediolanenſis Eccleſiæ vſus pro Dei gloria, & populi

ſalute obeundos parati ſemper ſint, ob id varia hominum genera, qui quouis modo Eccleſiæ, aut Archiepiſcopo vtilitatem afferant, habere conſtat.

Et quamuis Congregatio pro ſingularibus quibuſdam functionibus Eccleſiaſticos potiſſimum homines à beneficijs omninò liberos requirere videatur, eos tamen, qui aut reſidentiæ beneficijs aſtricti tenentur, aut laicos homines qui charitatis officia iuxta S. CAROLI Inſtitutũ, piè exerceant, haud excludit.

DE IIS QVI VOTVM SVBIECTIONIS bonorum emiſerunt.

QVI ſubiectionis bonorum votum ſub Archiepiſcopi obedientia nuncuparint, quoties Archiepiſcopo videbitur, vel Viſitatoribus inter viſitandum, ſeu alio tempore, vel alteri, cui Archiepiſcopus maluerit, fructuum adminiſtrationis rationem diligenter reddant, & de fructibus, qui eis mortis tempore ſuperſunt abſque ipſiuſmet Archiepiſcopi conſenſu ſtatuere non poſſint.

DE OBLATIS LAICIS.

QVoniam ſicuti dictum eſt vniuerſæ Congregationis laicorum Hominum opera prodeſſe multum poteſt, ij propterea in Congregationem duplici ordine admittantur. Primò, qui ſingulari

morum

morum probitate inſignes ſunt, etiam matrimonij vinculo aſtricti, domique ſuæ vitam iugiter trahentes, vt ea miſericordiæ, & charitatis erga alios munera, quæ de Congregationis more ſeruantur, planè exerceant, tum qui in Congregationis Collegiatis Domibus aluntur, vt omnia domeſtica officia, priuataſq; exercitationes promptè, ac diligenter obeant.

Hi tamen matrimonio liberi ſint, nec quadrageſimum annum excedant, nec minores triginta annis, & tot modò recipiantur, quot ad ea munera obeunda ſufficiant, niſi aliter Archiepiſcopo viſum fuerit.

DE RATIONE ADMITTENDI OBLATOS *in Congregationem.*

FAcultas recipiendi Oblatos in Congregationem penes Archiepiſcopum ſit; eo autem ſex menſes abſente, penes Prępoſitũ Generalem.

Hic tamen neminem admittat, niſi prius per litteras Archiepiſcopo ſignificarit, ab eoq; facultatem impetrarit.

Præpoſitus inſuper, quænam eius, qui recipi poſtulat, intentio, quiuè illius finis, explorabit; maximè verò, an in eo conditiones ſint, quæ, vt recipiatur, dignum reddant.

Qui

Qui admitti in Congregationem petierit, ſupplicem libellum Archiepiſcopo, eoq; abſente Præpoſito exhibeat, qui eius mentis, ac firmi animi deſiderio penitùs cognito, ſtatim præfecto ſpirituali, aut alteri probato, & prudenti Viro ex Oblatorum ordine commendet, vt eum de Congregationis Inſtitutis, ac moribus planè erudiat, & de eius natali, die, vita, doctrina, & ingenio diligenter in hunc modum inquirat.

An is ſingula habeat, quæ Congregationis inſtituta requirunt.

An admitti in Congregationem petat, ſiuè vt ſacris Ordinibus initietur, vel vt ſibi ad beneficia Eccleſiaſtica faciliorem aditum aperiat; An potius, vt Deo in Clericali ſanctimonia verè, & ſincerè inſeruiat.

An ita rerum indigentia prematur, vt hoc auxilio indigeat.

His diligenter exploratis, omnia ſigillatim ſcribat, & ad Præpoſitum cum ſuo voto fideliter deferat. Præpoſitus præterea eidem & votorum iura, & totius Congregationis finem aperiat. Hic ſi impeditus fuerit, eius iuſſu Aſſiſtens Monitor, vel Præfectus ſpiritualis, vnà cum Conſiliarijs idem exequantur.

Si quod impedimentum, quo minus admitti poſſit, emergat, alia Deo inſeruiendi ratio illi proponatur. Quòd ſi nil obſtiterit, ad ſe Præpoſitus accerſat, &

ex

ex eius ore, ac ſermone indolem, mores, ingenium, ſpem futuri denique progreſſus diligenter obſeruet; Tum ſingula ad Officialium generalium, & Oblatorum Congregationem referat, vt, recipiendus ne ſit, vel excludendus, in ea deliberetur. Præpoſitus deniq; Congregationis decretum ad Archiepiſcopum, niſi à Diœceſi abſit, deferat, qui pro ſuo arbitratu eundem vocet, & quid agendum ſit, decernat. Eos verò, qui ad Congregationis functiones exercendas parùm accommodati viſi fuerint, nullo modo recipiat.

Vbi autem eum in Oblatorum numerum referri Archiepiſcopus decreuerit, præter caſus inferiùs poſitos in S. Sepulchri Ædes, quo loco tyrocinium ponunt, omninò recipiatur.

Probationis tempus nouem menſes, & ad minus ſex, & amplius etiam, pro Prępoſiti arbitratu, cum conſilio tamen Præfecti, & Conſultorum, duret. Annum verò non excedat niſi de Archiepiſcopi facultate.

Quo præſertim tempore ſub Præfecti ſpiritualis, vel alterius diſciplina, cui cura demandata erit, modeſtiam, & in omnibus rebus obedientiam exhibeat, in pijs exercitationibus, & meditationibus, quæ Chriſtianam pietatem, ac diſciplinam fouere ſolent, ſe exerceat, vitiorum deteſtationem procuret; littera-

rum

rum item ſtudia omni diligentia amplectatur, vt his imbutus populum in vera, & Chriſtiana viuendi ratione erudiat, & conſeruet.

Peracto deniq; exercitationum curſu, ante Congregationis ingreſſum, totius anteactæ ſuæ vitæ peccata Confeſſario diligenter aperiat.

Dum in his pijs actionibus Nouitij ſe exercent, quæ animum à beneficijs auocant, & quæ ad perfectiorem Oblatorum ſtatum pertinent, ijs potiſſimùm proponantur.

Hoc temporis interuallo, ſingulis tribus menſibus, à duobus Sacerdotibus, qui ad id muneris electi fuerint, diligenter examinentur, vt ſingulorum ſpirituales progreſſus cognoſcantur, quos vbi cognouerint, ad Præpoſitum deferant.

Probationis tempore ſinguli, præter alimenta, nihil aliud à S. Sepulchri menſa recipiant, niſi graui de cauſa aliter Archiepiſcopus, audito Præpoſito, & Conſultoribus, iudicauerit.

Qui à Religione egreſſus, vel dimiſſus fuerit, in Congregationem, niſi ob legitimam cauſam, eamq; non turpem, egreſſum, vel dimiſſum fuiſſe conſtet, & ante tempus probationi definitum, nullo modo admittatur. Inſuper Congregationis muneribus, atque inſtitutis idoneus ſit.

DE

DE RATIONE ADMITTENDI OBLATOS *Beneficia Reſidentiæ habentes.*

QVI Reſidentię Beneficia iam obtinent, in Congregationem recipi poſſint, modò viri ſpectatæ vitæ, innocentia, morumq; probitate conſpicui ſint, & vniuerſæ Congregationi non mediocri ornamento eſſe queant.

Cùm verò in his recipiendis non pręſcripta ſuperiùs probatio requiratur, idcircò poſtquàm animi ſui deſiderium tùm voce, tùm ſupplici libello patefecerint, nec vllus de eorum optima viuendi ratione, & præſtanti conſtantia dubitandi locus reſtet, Præpoſitus cum Archiepiſcopo rem agat, an recipiendi ſint; quos ſi dignos cenſuerit, primò in ſpiritualibus exercitationibus per quindecim, vel viginti dies, ſe exerceant, deindè omnium vota ſuſcipiat, vt recipiantur.

DE IIS OBLATIS, QVI, RELICTIS BENEficijs, *Domibus Congregationis ſe adſcribi poſtulant.*

ET ſi ſperare licet multos fore Beneficia Reſidentiæ obtinentes, qui illis, de Archiepiſcopi conſenſu, a ſe abdicatis, in Congregationem adſcribi vehementer optent, vt totiùs Congregatio-

nis munera verè ſuſtineant: quia tamen multi etiam ſunt, qui in eam cooptari velint, eo conſilio, vt alia Beneficia Eccleſiaſtica conſequantur; Ideò Præpoſitus eorum mentem primò diligenter inſpiciat, ſæpiuſq; probet, tùm rem coram Congregatione proponat, ac totius Congregationis ſententiam ad Archiepiſcopum deferat; quam ſi probarit, in probationis domum recipiantur, vt ibi, priuſquam Beneficijs ſe abdicare ab Archiepiſcopo permittantur, per duos, aut tres menſes in pijs exercitationibus, ac in ijs maximè, quæ ad ſtatus electionem faciunt, ſe exerceant.

Hoc tranſacto temporis ſpatio, in ſententia conſtanter ſi perſeuerauerint, iterum re in Congregatione propoſita, & diſcuſsa, Præpoſitus Archiepiſcopum admoneat, vt Congregationis Menſæ cum beneficij vacatione adſcribantur, & in Oblatorum numerum referantur.

Si qui tamen debiles, infirmi, frequenter ægrotantes, ſenes, & alij, qui Congregationis munera obire minime poſſint, adſcribi poſtulent, recipi prohibemus, niſi forte ob vitæ integritatem, ac doctrinam vtiles Congregationi eſſe queant. Verùm id ab Archiepiſcopi voluntate omninò pendeat.

Vbi verò ad titulum menſæ Congregationis adſcripti fuerint, vacare ſtatim quæcunque Reſidentię beneficia,

ficia, quę huic nouo vitę generi repugnant, omninò cenſeantur.

DE RATIONE RECIPIENDI, ET PRObandi eos, qui in Seminarijs aluntur.

QVI in Seminarijs educantur, ſi inter Oblatos adnumerari cupiant, cum Prępoſito per Rectorem, vel Præfectum ſpiritualem ſupplicem libellum dederint, de ſuo ſtatu diligenter inquiratur, & re à Præpoſito in Officialium Congregatione explicata de eorum ſententia, an recipiendi ſint, nec ne, cum Archiepiſcopo agatur.

Si verò Archiepiſcopus annuerit, primò totius anteactę vitæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione confiteantur; mox in pijs exercitationibus approbentur, ac dę inſtitutis, & legibus Congregationis inſtruantur; tum voto coram Archiepiſcopo facto, & in Congregationem recepti ad Seminarium remittantur, vbi loco Oblatis aſſignato ad Sacerdotium vſque commorentur.

Interim tamen eiuſdem Congregationis Sacerdos vnà cum Præfecto ſpirituali Seminarij diligenter curabit, vt non modò in litterarum ſtudia, quibus addicti ſunt, incumbant, verum etiam in pijs exercitationibus ſe exerceant, ac in ijs præſertim quæ ad probationis Domum S. Sepulchri ſpectabunt.

Verùm quoniam litterarum ſtudia pietatem, ac interiorem diſciplinam impedire aliquando videntur, ſinguli propterea peracto ſtudiorũ curſu antequam in S. Sepulchri Ædes recipiantur, iterum per tres menſes à Præfecto ſpirituali Seminarij in rebus ſpiritualibus, & virtutibus huius inſtituti proprijs apprimè inſtituantur, mox vbi progreſſus certum ſpecimen dederint, niſi aliud obſtet, eo transferantur.

DE RATIONE DIMITTENDI EOS, QVI ad Congregationem apti minime ſunt.

QVI probationis tempore ad Congregationis vſus minus idonei reperti fuerint, Archiepiſcopus eos audito Præpoſito, dimittere poterit, ea tamen cautione, vt id abſque illorum ignominina præſtetur.

Dimittendi cauſæ potiſſimum hæ erunt.

Si contumacis fuerint naturæ.

Si in conuerſatione difficiles.

Si deprauatis moribus, & tranquillitati contrarijs.

Si ad inſtituta ſeruanda minimè idonei.

Si infirma valetudine.

His in Congregatione diſcutiendis Præfectus ſpiritualis ſemper interſit.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS non expetendis, nec procurandis.

EX Congregationis inſtituto nemini Oblato, vbi obedientiæ votum præſtiterit, niſi Archiepiſcopo iubente, cuiuſuis generis beneficium ſuſcipere minimè liceat, vt tamen beneficiorũ omnis ambitus tollatur, votumq; inuiolatè ſeruetur, prohibemus in poſterum ne quis vllo modo, aut titulo Beneficia, Collationes, Prouiſiones, & eiuſmodi etiam à Sede Apoſtolica obtineat, aut impetret ſine eiuſdem Archiepiſcopi conſenſu, & niſi facta in litteris Apoſtolicis huiuſmet Conſtitutionis, & Voti, ratione cuius incapax eſt, expreſſa mentione. Aliter hæc omnia irrita, & nulla tam in iudicio, quam extra fore, & eſſe præſenti Decreto ſancimus, & declaramus.

DE NVMERO EORVM, QVI OBLATOrum Menſæ adſcribendi erunt.

CErtus Oblatorum numerus, & ſi nullo modo præſcribi poteſt, Menſæ tamen ij tantum adſcribantur, quos Congregationis redditus alere commodè poſſint.

Dum igitur Congregationi alia bona addantur, ſexaginta ſint.

Vbi verò aucta, eorum numerus in Capitulo Generali augeatur.

Nemo autem ad titulum menſæ Congregationis S. Sepulchri admittatur, qui non ſaltem annum, vel in Seminarijs, ſi alicuius alumnus ſit, vel in ipſiſmet probationis Ædibus verſatus fuerit, & re prius ad Congregationem relata, & ab Archiepiſcopo approbata.

Quicunque in S. Sepulcri Ædes, ac familiam recipiuntur, primo biennio in Præfecti ſpiritualis curam, & diſciplinam tradantur, cui, quoties petierit, progreſſus rationem reddant.

DE OBLATORVM VESTITV, & ſtipendio.

VT autem Oblatorum neceſſitatibus modeſtè conſulatur, veſtitus, aliarumq; neceſſitatum cauſa decernimus, vt primo biennio ſingulis vigintiquinque nummi aurei, poſtmodum triginta tradantur.

Ijs verò qui paupertatem vouerint, veſtes, aliaque neceſſaria ex Congregationis Veſtiario nummorum loco decernimus, & aſſignamus.

Præpoſitus eandem veſtitus, rerumq; omnium rationem ſeruet, quam cæteri; capiat item eundem cibum, & potum.

Cubi-

Cubiculum verò, hoſpitum gratia, qui ad eum ſæpe conueniunt, paulò elegantius cæteris habere poſſit, ita tamen, vt in omnibus humilitas, & modeſtia eluceat. Peracto biennio ſucceſſori illud relinquat, & ex eo nihil aſportet.

DE BIBLIOTHECA COMMVNI.

VT vetus iam, eademq; priuata Congregationis Bibliotheca perpetuò ſeruetur, Nos Archiepiſcopali noſtra ordinaria auctoritate interdicimus, ne quis libros quouis prætextu ex interiori Bibliotheca, vbi ſelecta, & ſeparata fuerit, audeat aſportare.

Nemo item libros è Bibliotheca ad Cubiculorũ vſum comparata, ſine Bibliothecarij, aut Præpoſiti facultate auferat.

Qui licentiam obtinuerit, & Autoris nomen, quem aufert, & proprium propria manu in libro ad hunc vſum conſtituto conſcribat.

Libros inſuper vtriuſq; Bibliothecæ è Domo transferre, aut cuiquam accõmodare omninò prohibemus.

Qui ſecus fecerit; ſi Clericus ſuſpenſionis; Si verò laicus excommunicationis pœnam ſtatim incurrat, nec abſolui, liberariuè queat, niſi ab Archiepiſcopo, vel ab altero, cui ipſemet facultatem ad id nominatim dederit.

CONSTITVTIONES QVÆDAM
Ad Diſciplinam Oblatorum pertinentes.

NEmo niſi de Congregationis conſilio, & Archiepiſcopi facultate Ordinum promotionem curet, Doctoratus item laureolam niſi ab Archiepiſcopo, vel de illius licentia in publico Gymnaſio ſuſcipiat. Qui ſecus fecerit à Congregatione ſegregetur. Quod ſi facti probabilem cauſam afferat, inſignium vſu pro Archiepiſcopi arbitrio interdicatur.

Singuli inſuper honoris titulos, ſicut Domini, & alios id generis non vſurpent. Qui verò Sacerdotes ſunt, Patris nomine appellentur, cæteri tantùm proprio, aut familiæ contenti ſint.

Veſtitus Oblatorum, is omninò ſit, vt ex eo illos eſſe Dei miniſtros appareat. Quare veſtes non ferant niſi laneas, eaſque humiles, hyeme ex grauiori filo, æſtate verò paulò ſubtiliori contextas, ſiuè quas vulgo dicunt di CIMOSONA, & di SARZA. Ea etiam ratio perpetuò ſeruetur, quæ à Concilijs Prouincialibus, & Diœceſanis præſcribitur.

In exitu è domo ſuum quiſque ſigum è tabella iuxtà Ianuam affixa remoueat, cùm autem redierit, ſuo illud loco reſtituat.

Quicunque menſę S. Sepulchri adſcripti ſunt, aut in

domibus Collegiatis, Seminarijs, Collegijsuè vitam degunt, peccata ſua Confeſſori à Prępoſito aſſignato, vel alteri ab Archiepiſcopo generatim approbato confiteantur.

Præpoſitus item libellum habeat, in quo ſingulorum confeſſiones diligenter notet, vt an ab ijs inſtituta de confeſſione ſeruentur, planè cognoſcat.

In miſſionibus verò, & itinere, Confeſſarijs in Concilio approbatis vtantur, Oblatis maximè, ſi qui repe（riuntur.

Vt animus cum corpore reficiatur, ac recreetur, ſinguli in menſa legant, etiam Sacerdotes, niſi quando id à cæteris præſtari commodè poſſit.

Barbam nemo nutriat, alatuè, ſed qui trigeſimum annum exceſſerint, vel ſtrictim omninò tondant, vel propè cutim.

Barbam item è ſuperiori labro omninò recidant; cæteri verò iuniores ad pectinem.

Semel in hebdomada, feria videlicet ſexta, hora à Præpoſito conſtituenda ſinguli non legitimè impediti, ſiuè in Sancti Sepulchri Ædibus, ſiuè in Seminarijs, Collegijſuè moram trahant, in Sancti Sepulcri Oratorium ad Capitulum Spirituale conuocentur, in quo à Præpoſito, vel ab alio qui admonitus fuerit, breuis aliqua pia cohortatio habeatur.

Poſt hanc verò ſinguli commiſſæ culpæ veniam, ac

pœnam

pœnam ſuppliciter poſtulent, quibus Præpoſitus præmiſſis paternis cohortationibus ad Congregationis leges integrè ſeruandas ſalutarem pænitentiã iniunget. Ad quod ſpirituales ſermones, præſertim de virtutum exercitatione, plurimum iuuabunt.

Nemo ſiue Congregationis Menſæ adſcriptus ſit, ſiue in Collegiatis Domibus viuat, Monialium, aliarumuè fœminarum communem vitam degentium curam, neuè Confeſſarij partes ſuſcipiat. Archiepiſcopum propterea hortamur, vt nemini ex ijs, niſi ex graui neceſſitate, eiuſcemodi onera imponat.

Porrò ijs extraordinariæ Miſſiones ad earum Confeſſiones audiendas, Viſitationes, Concioneſuè habendas, ſi facultas ab Archiepiſcopo, vel eius Vicario Generali concedatur, minimè prohibeantur.

Si quis Sancti Sepulchri Oblatus votiuam aliquam peregrinationem ſuſcipere, vel ad domeſticos lares, vel alio ad animi, corporiſq; vires recreandas proficiſci voluerit, Præpoſitus ſemel in anno facultatem impertiat, ita tamen vt ex tribus dimidia pars in Ædibus S. Sepulchri pro Religioſis exercitationibus, Eccleſiaſticiſq; neceſſitatibus, & muneribus, quæ ab Archiepiſcopo iniungentur, vbicunque obeundis, ſicuti diximus, ſemper commoretur.

Qui autem ſine Archiepiſcopi licentia diutius, quam facultas data eſt abſuerit, is toto eo tempore non

ſolùm

ſolùm ſtipendij pœna mulctetur, verùm etiam alijs de Præpoſiti, & Officialium Congregationis conſilio. Si verò contumaciter diutius abſuerit, re ad Archiepiſcopum delata, grauioribus pœnis plectatur.

Quod ſi alicui ægritudinis, vel alia cauſa ſæpius per annum abeſſe expediat, Præpoſitus niſi de Archiepiſcopi licentia id illi haud permittat.

Amicorum, aut proximorum priuata negotia nemo ſuſcipiat, geratuè, niſi de Superioris facultate, & in re graui per quindecim dies.

Si verò longiorem temporis moram poſtulant, ab Archiepiſcopo licentiam obtineat, vt in paternis Ædibus, aut alibi, honeſto tamen loco, donec illa abſoluat, commoretur.

Nemo item quadrageſimali præſertim tempore concionandi facultatem curet: ab Archiepiſcopo iuſſus promptè munus obeat.

Nihil tamen pro mercede, ſiuè alio quouis titulo capiat. Sed ſi qua pecunia, vel quid aliud ſpontè oblatum fuerit, id ad piam aliquam cauſam pro Archiepiſcopi, & eo abſente, Præpoſiti Generalis arbitratu diſtribuatur.

DECRETA

Viſitationis Congregationis Oblatorum SS. Ambroſij, & Caroli edita anno 1622.

1 *QVÆ Sancti Caroli inſtitutionibus, noſtriſque Conſtitutionibus pro bono Congregationis regimine, ſancita ſunt, accuratè Præpoſiti ſtudio ſeruentur, cuius præcipuè in hoc conſcientiam oneramus, vt ſi in aliquo ab eis fuiſſe receſſum cognouerit, ea in priſtinum vſum reuocare curet, & ne in poſterum quidquam intermittatur, aut negligatur, quod Congregationis bonum concernat, diligenter animaduertat, re ad nos ſigillatim delata quoties opus fuerit.*

2 *Meminerint Præpoſitus, & ij, qui Congregationis regimini præſunt penes Archiepiſcopum plenam eſſe in Congregationem poteſtatem, ab eiuſque nutu, & voluntate totam huius inſtituti adminiſtrationem pendere, & propterea debere ea omnia, quæ in Congregationis gubernatione Oblati gerunt, eidem ſubordinatè præſtare.*

3 *Præpoſitus, & Officiales primarij ad præſcri-*

 ptum

ptum electi ſuo muneri diligenter incumbant, nec officium, ad quod quiſque fuerit aſſumptus etiam beneficij adepti prætextu, inconſulto Archiepiſcopo, deſerat, licèt, eo ipſo, quòd beneficiũ, quod reſidentiam requirat, fuerit ademptus, officium dimittere teneatur ad præſcriptum Conſtitutionum.

4 *In admittendis Clericis ad Congregationem eos præmoneat Præpoſitus votum eſſe perpetuũ, nec ab vllo poſſe abſolui in foro exteriori, niſi Archiepiſcopo relaxante; Si qui Congregationis ſeruitium deſerere quoquomodo præſumpſerint, ſe pœnas daturos, & ad voti obſeruationem pænis, & cenſuris eſſe reuocandos.*

5 *Qui petentium mentem perſcrutari ex officio tenentur, illud maximè in vnoquoque animaduertant, an ſe offerant, vt faciliùs beneficium conſequantur, ſeu vt ad titulum menſæ Sancti Sepulchri ordinentur, & ſi quem eò progredi cognouerint, non admittant, niſi priùs re ad Archiepiſcopum delata, & expectato illius mandato.*

6 *In extraneis ad Congregationem admittendis ſingularis cautio adhibeatur, maximè in eiſdem promouendis ad titulum menſæ Sancti Sepulchri.*

7 *Quoniam autem Apoſtolica liberalitate Clericis Congregationis indultum eſt, vt hi, qui nulla beneficia Eccleſiaſtica obtinent, nec patrimo-*

nium

nium ſufficiens poſsident , ad titulum menſæ Congregationis eiuſdem Sacris Ordinibus initiari valeant ; modo tamen, quando illis aliunde quomodolibet ſufficienter Archiepiſcopi iudicio, aut ex parte prouiſum fuerit, ex tunc menſa ipſa in totum, vel ex parte, pro qua prouiſum erit, exonerata cenſeatur . Vt Sanctum iſtud priuilegium Congregationi incontaminatũ perpetuò conſeruetur, ordinamus, ne in poſterum quis Clericus Congregationi adſcriptus ad titulum menſæ Sancti Sepulchri, ſeu Congregationis huius ordinandus admittatur, niſi priùs legitima probatione docuerit ſe nec beneficium habere, nec patrimonium ſufficiens, ad quod ſacris initiari valeat , quod iudicium, quoniam ſoli Archiepiſcopo commiſſum videtur, is, qui eo priuilegio vti voluerit, ab Archiepiſcopo approbationis reſcriptum obtineat, in acta ordinationis illius temporis reponendum, & conſeruandum ; aliter facta promotio, ſubreptitia cenſeatur, & is, qui ſubrepſerit tandiu ſuſpenſionis pænam ſubeat, donec tituli ſubrepti loco patrimonium ſubijciat exonerata Congregationis menſa arbitrio Archiepiſcopi.

Exhibendũ ergo erit tempore ordinationis.

8 *Vtque præterea Congregationis menſa ab eo onere iuxta Indulti diſpoſitionem ſit exonerata, quoties caſus memoratus eueniet, mandamus Præpoſito pro tempore, & Procuratori menſæ, vt ſtatim, ac quis ita ordinatus, aut beneficium,*

aut patrimonium fuerit adeptus, illudque pacificè poſsideat, ita vt ſit in caſu eximendi menſam ab eo onere quoad titulum, aut pro parte, aut in totum, datis ſtatim probationibus, ab Archiepiſcopo iudicium exonerationis exigat, quod etiam in forma probante in librum menſæ adnotetur, & in acta Ordinationum in Cancellaria Archiepiſcopali regiſtrandum deferatur, eorum & promoti conſcientiam onerantes, ſi ſecus factũ, aut ea cura neglecta fuerit, aut intermiſſa.

Exoneranda communis menſa titulis, ſi &c.

9 *Vt autem conſulatur indemnitati menſæ Cõgregationis, ſi in hoc propræterito grauata reperiatur, volumus, vt coram Vicario noſtro Generali fiat noua diſcuſsio eorum, qui hodie ſunt adſcripti menſæ, vt dignoſcatur, an quis eorum beneficium poſsideat, vnde menſa veniat in aliquo, quoad titulum exoneranda.*

10 *Qui ad titulum menſæ fuerunt initiati, vel ad patrimonium, vel ad beneficium ſimplex, quando ſunt in Congregationis ſeruitio extra ædes S. Sepulchri, ſciant ipſis nullum ius competere aduersùs menſam pro alimentis, ſed iudicio Archiepiſcopi ſufficienter illis eſſe prouiſum ſiue inſeruiant Collegijs, ſiue miſsionibus, ſiue aliter impenſis Collegiorum, & Eccleſiarum, quibus ſuffragantur. Quando verò ſunt in Congregatione in ipſis ædibus S. Sepulchri, competit illis ius pro victu, & veſtitu iuxta regulas, licèt menſa ſit exonerata quoad titulum pro ijs,*

qui

qui ſunt ordinati vel ad patrimonium, vel ad beneficium, vbi verò contingat ſupraſcriptos eſſe dimiſſos à Congregatione ex propria culpa, illud pro certo habeant, menſam ordinato teneri in ſolo caſu neceſſitatis, ne clericus diuino ſeruitio mancipatus cum dedecore Eccleſiaſtici ſtatus emendicare cogatur.

11 *Promoti ad titulum menſæ memores ſint continuo Eccleſiæ ſeruitio ſe adſcriptos eſſe, neque illud ſub quocunque prætextu deſerere poſſe ſine expreſſa facultate Archiepiſcopi, ſuſpenſionis à Diuinis pœna propoſita ipſo facto ſubeunda illis, qui ſine illa facultate relicta Congregatione ad alienam Diœceſim ſe transferre præſumunt, à qua liberari nequeant, niſi ad priſtinum redeant ſeruitium, & propterea oblatum ſit ordinatum duplici vinculo ligatum eſſe, altero iure tituli adſcriptionis, altero voti emiſſi perpetuæ obedientiæ, & eorum ſolutionem noſtrę diſpenſationi eſſe reſeruatam, nec eum, qui ſubrogato beneficio, aut patrimonio in locum tituli menſæ, cui fuerat adſcriptus ab obligatione, quam voto contraxerat, exemptum eſſe, quin ad omnia Congregationis munia ſubeunda, vt ante, omnino teneatur, quod ſi quis contrafecerit, Vicarius noſter Generalis vti etiam à nobis delegatus, contra eum pœnis, & cenſuris agat, eà præcipuè impoſità mulctà, vt quidquid damni eius cauſa Congregatio paſſa fuerit, integrè reſtitua-*

ſtituatur, ſi & prout ita iuris eſſe cognouerit.

12 Sint continuò reſidentes in domo S. Sepulchri tot Sacerdotes, qui nedum officia Congregationis ordinaria ſuſtinere poſſint, ſed & alia quæcunque foris iuxta Congregationis inſtitutum ſubire valeant, præcipuè illud miſsionum ad curam animarum vbique exercendam, à quo nec immunes eſſe poſſunt ipſimet officiales primarij domus, quin iubente Archiepiſcopo, aut eius mandato Vicario ipſo Generali ad quęcunque loca etiam infima totius Dięceſis promptè ſe conferre, & miſsiones ad ea ſuſcipere teneantur, ijque præterea ſinguli diligenter incumbant ſpiritualibus exercitijs Congregationis quiſque pro ſuo munere, & ſi quem deficere aliquando, aut negligenter ſe gerere Præpoſitus, & Vicarius domus cognouerint; poſt primam admonitionem ad Archiepiſcopum puniendum deferant.

13 Miſsiones, quæ præcipuum Congregationis inſtitutum concernunt Archiepiſcopo, aut Vicario Mediolani iubente promptè recipiantur, præſtenturque etiam Congregationis ſumptibus, tam pro itinere, quam pro neceſſario victu, vbi Vicarius Generalis ſpeciali mandato ſcriptis exarato, ita expedire cenſuerit, iuſſeritque, facta poſtea Congregationi congrua compenſatione ex fructibus Eccleſiæ, ad cuius ſeruitium Oblatus mittitur, vbi, & quando commodè fieri poterit, volumus enim in primis, vt animarum ſaluti omnino conſulatur.

14 Eccleſias, ad quas miſſi ſunt abſque opportu-
na eius, qui miſerat facultate ſcriptis exarata,
deſerere ne audeant, nec etiam vt ad ſua reuer-
tantur, & ab inde in reditu teſtimonium affe-
rant ſe in eo munere laudabiliter geſsiſse; ſi in
hoc aliqui peccauerint, pęnas dabunt eiuſdem
arbitrio.

15 Eo obedientiæ voto, quod in perpetuum Ec-
cleſiæ Mediolanen. ſeruitium ad animarum cu-
ram emittunt, Oblati admonentur, non licere
eis aliena miniſteria ſuſcipere, quibus illud pro-
prium poſsit impedire. Quare & Sancti Fun-
datoris inſtitutionibus, & noſtris Conſtitutioni-
bus iamdiu cautum eſt Oblato licere quidem ſuo
ſuperiori voluntatem aperire cōfidenter in ſuis;
non tamen ſacros ordines ſuſcipere, Doctoratus
gradum conſequi, ad Parochialis beneficij con-
curſum accedere, nec aliud beneficium, quod re-
ſidentiam perſonalem requirat acquirere, aut
etiam Oblatum acceptare, niſi iubente Archie-
piſcopo.

16 Quæ decreta beneficialem materiam concer-
nentia innouantes declaramus ea etiam locum
habere, ſi de vna Parochia, aut beneficio cum
reſidentia ad aliud tranſire quis voluerit, etiam
ſi id fiat per reſignationem, ceſsionem, dimiſ-
ſionem etiam ſub titulo Coadiutoriæ cum futura
ſucceſsione, tam liberam, quam ad alterius fa-
uorem, & vt aliud beneficium ſimile conſequa-
tur.

17 *Vlteriùs decernimus, ne quis Oblatus beneficium Parochiale, aut quod perſonalem requirat reſidentiam validè obtinere valeat, niſi per quinquennium à die Sacerdotij, & ſeruitij fuerit in Congregatione, & in cunctis muneribus ſibi iniunctis laudabiliter ſe geſsiſſe probauerit, exhibito teſtimonio ſcriptis exarato, quod in actu prouiſionis beneficij, aut concurſus exhibeatur, vt de eo pariter fiat mentio in litteris prouiſionis, ſiue fiat ordinaria, ſiue Apoſtolica auctoritate, & aliter facta prouiſio, niſi vt ſupra, nulla, & irrita cenſeatur. Si autem Archiepiſcopus pro maiori ſuæ Eccleſię bono in aliquo horum diſpenſare voluerit, diſpenſatio fiat ex certa ſcientia, & motu proprio, ac in ſcriptis redacta ſit, cuius etiam in prouiſione expreſſa fiat mentio cum derogatione in forma; ſub eadem nullitatis, & inualiditatis pęna.*

18 *Si quis iam prouiſus de beneficio cum onere reſidentiæ illud dimittere voluerit, vt ad menſam S. Sepulchri reuertatur, non admittatur, niſi cum ſpeciali Archiepiſcopi decreto in ſcriptis exarato, animaduertatque Præpoſitus, an id fiat, vt ad meliora beneficia viam ſibi aperiat, quo in caſu nedum is à petitis repellatur, ſed etiam conſulto Archiepiſcopo, Oblati titulo, ac honore priuetur.*

19 *Vt autem, quę de non promouendis ad titulũ menſæ Congregationis, niſi modo, quo ſupra di-*

ctum

ctum eſt, & de beneficijs impetrandis, reſignandis, aut aliter obtinendis ſuperiùs, aut aliàs decreta ſunt, maiorem, aut perpetuam habeant firmitatem, optamus Apoſtolica auctoritate confirmari, mandamus propterea Præpoſito, & ijs omnibus officialibus, qui regimini preſunt, vt intra ſex menſes litteras confirmationis à S. Sede Apoſtolica ſingulari diligentia impetrare curent, impetrataſque nobis exhibeant perpetuò cõſeruandas in Archiuio noſtro Metropolitano.

20 *Præterea decernimus, vt ſi quis aut ante confirmationem, aut etiam poſt eam in aliquo horum deliquerit, pro merito culpe puniatur etiam vſque ad priuationem beneficij Congregationis, & ad reſtitutionem tantundem, quantum iniuſtè à menſa Sancti Sepulchri perceperit.*

21 *Ne quis ex Oblatis ſue oblitus obligationis cui voto ſe adſtrinxit inſeruiendi perpetuò Eccleſie Mediolan. ſub obedientia Reuerendiſsimi pro tempore Archiepiſcopi, impunè ſeruitium iſtud deſerere audeat ad aliam tranſeundo Eccleſiam, aut Diecеſim, diligenti Vicarij noſtri Cure committimus, vt in hoc præcipuè inuigilet, & ſi quem nouerit delinquentem, contra eum, vti votifragum, agat, & ſi cognouerit Congregationem illius causà ob victus impensã aliquod detrimentum ſumpſiſſe, eundem condemnet ad damna, & intereſſe, & ad tanti ſolutionem eum cogat, communicato ſemper nobiſcum*

toto negotio, antequam ad iudicialem deueniat ſententiam; Præpoſitus verò, & monitor, ſi quẽ id attentare præuiderint, (in quo ſingularem illorum prouidentiam requirimus) nos ſtatim pręmoneant; Sique in hoc Congregationis ſtatuto Apoſtolica auctoritate opus eſſe cognouerint, ad firmitatem illius, cõfirmationem vnà cũ cęteris ſupra memoratis impetrare ne omittant, quo in caſu certi ſint nõ poſſe à voto diſpenſari, niſi noſtra, aut Sũmi Põtificis auctorit. ſcriptis exarata

22 Studeat Præpoſitus aliquos ex oblatis, quos ad perfectionis gradũ progredi cognouerit, promouere, vt iuxta Congregationis inſtitutũ, à S. Fundatore Carolo adeò cõmendatum vltra obedientiæ votum, & aliud paupertatis, aut ſuorũ bonorum cõmunicationis votum emittant, quos Archiepiſcopus, nec per beneficiorũ cũ reſidẽtię onere collationem, & aliter ab eo inſtituto remouere ſtudebit, niſi vbi cognouerit pro maiori, & Congregationis, & ipſiuſmet profectu ita expedire.

23 Conuictorum viuendi ratio vbi iuxta inſtitutum ſeruari poteſt ne omittatur, aut negligatur, & vbi intermiſſa in vſum reuocetur. In Seminarijs autem, & Collegijs omnino inſtituatur pro recta Oblatorum, qui ibi degunt, educatione, in quo Prępoſiti ſingularẽ diligentiã requirimus.

24 Cõſortia conſueta, tã in Ciuitate, quã Dięceſi, præſcripta ne omittãtur, quibus Præpoſitus, aut eo impedito, Præfectus ſpiritualis Cõgregationis;

aut

aut alius à Præpoſito deputãdus sẽper interſit, in eiſq; nedũ Populi profectui, ſed maxime ipsorũmet, quorũ gratia celebrãtur õni ſtudio incũbant.

25 *Inſtituta ſpiritualia, ad quæ particulari ratione Cõgregatio obligatur, tã in quotidiani victus ratione, quã in diuinorũ officiorũ celebratione ſermonibus, oratorijs, cęteriſq; Eccleſiaſticis, & Religioſis functionibus, vt accuratè opportunis temporibus, & cũ decore præſtẽtur, cura ſit Prępoſiti, & Monitoris domus, & eorũ qui Cõgregationis regimini pręſunt, quorũ cõſcientiã oneramus noſtrã exonerãtes, negligẽtes cõmoneant, cõtumaces puniẽdos ad Archiepiſcopũ deferant, & ipſimet qui ſuo exẽplo cæteros promouere debẽt, aut ex officio tenentur, primi ſint in obſeruandis, ac conſeruandis Congregationis Oblatorum SS. Ambroſij, & Caroli inſtitutis, regulis, ordinibus, conſtitutionibus nobis, & ſucceſſoribus noſtris, Deoque primitus reddituri rationem.*

26 *Quoniã cõuentus pro creandis nouis officialibus, & alijs Cõgregationis negotijs peragendis de more fieri cõſuetus, occaſione huius noſtræ viſitationis fuit vltra tempus pręſcriptum ex ordine noſtro prorogatus, volumus ne vlteriùs differatur, vtq; in eo pręter cętera, quæ ex præſcripto cõſtitutionũ fieri debẽt hæc noſtra decreta promulgẽtur.*

Dat. ex Palatio Archiepiſcopali Mediolani die Sabbati nono menſis Iulij 1622.

Sign. Federicus Card. Borromæus Archiepiſcopus Mediol.

Die Mercurij vigeſimo quarto menſis Ianuarij anni 1624. mane.

LEcta fuerunt ad verbum alta, & intelligibili voce, & promulgata ſupradicta decreta per me Notarium infraſcriptum, Coadiutorem Multum Reuerendi Domini Cancellarij Archiepiſcopalis Mediolani in Congregatione Generali RR. Oblatorum, habita anno, & die ſupradictis in Oratorio ſit. in domo dictæ Congregationis apud Eccleſiam Sancti Sepulchri Mediolani, coram Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo DD. Federico Cardinali Borromæo Archiepiſcopo ibidem exiſten., & maximo numero RR. Oblatorum ad hæc generali monitione vocatorum.
Et ita &c.

Subſcript. Io. Baptiſta Pelizzonus Coad. &c.

FEDE-

FEDERICVS

Miſeratione Diuina Tituli S. Mariæ Angelorum S.R.E. Presbyter Card. Borromæus Sanctæ Eccl. Mediolan. Archiep.

DILECTIS nobis in Chriſto RR. Præpoſito, Presbyteris, & Clericis Congregationis Oblatorum SS. Ambroſij, & Caroli Mediolani, omnibuſque alijs, & ſingulis, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, ſalutem in Domino. Noueritis litteras Apoſtolicas fel. rec. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorij Diuina Prouidentia Papæ XV. ſanas ſiquidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua earum parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, vt ex eis prima facie apparebat, nobis hodie per Reu. Sacr. Th. Doct. D. Stephanum Bigattum Præpoſitum dictæ Congregationis Oblatorum coram Cancellario noſtro Archiepiſcopali, & teſti-

bus

bus infraſcriptis præſentatas, & per nos eà, qua decuit, reuerentià receptas fuiſſe huiuſmodi ſub tenore videlicet. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili fratri Archiepiſcopo Mediolanen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad ſacram Beati Petri ſedem diuina diſponente clemētia in plenitudinem poteſtatis aſſumpti ad ea libenter intendimus quæ pro Congregationum quarumlibet præſertim Presbyterorum, & Clericorum ad vineæ Domini pretioſò eius cruore irrigatæ culturam aſſumptorum conſeruatione, & propagatione prouidè facta, & etiam cum pœnarum comminatione, ne quiuis per campum licentiæ depoſito fræno conſtitutionum iuſtis, & rationabilibus ex cauſis per ſanctos earum inſtitutores editarum, neruuſque obſeruantię in præiudiciū Congregationum earundem quandoque auſu temerario violari contingat, ordinata fuiſſe dicuntur, illiſque vt firma perpetuò, & illibata perſiſtant, libenter cum à nobis petitur, Apoſtolici mandamus adijci muniminis firmitatem, prout perſonarum rerum temporum, & locorum qualitate debitè penſata conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilecti filij moderni Præpoſiti Congregationis Presbyterorum, & Clericorum

rum Oblatorum nuncupatorum Mediolani petitio continebat: quod aliàs dilectus filius noſter Federicus Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis diocletianis Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus, Eccleſiæ Mediolan. ex diſpenſatione Apoſtolica Præſul, attentè perpendens, quod dudum S. Carolus, tunc in humanis ſanctam vitam agens Tit. Sanctę Praxedis etiam Presbyter Cardinalis Borromæus ſimiliter nuncupatus, ac eiuſdem Eccleſiæ Mediolanen. ex ſimili diſpenſatione Præſul pro ſua inſigni pietate, & erga ſalutem animarum ſuæ curę commiſſarum charitate in Ciuitate Mediolan. vnam Congregationem Presbyterorũ & Clericorum nuncupatam, cuius profeſſores Archiepiſcopo Mediolanen. pro tempore exiſtenti perpetuam obedientiam in omnibus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem procurandam ſpectantibus etiam ex voto, non tamen ſolemni pręſtando, & ipſo iubente Archiepiſcopo ſemper ad fidei rudimenta tradenda, Chriſtianam doctrinam explicandam, & propagandam, ſacras lectiones exercendas, concionandum, confeſſiones audiendas, aliaque Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta miniſtranda; animarum curam ſuſcipiendam, & gerendam, Eccleſiaſticas functiones quaslibet, & cuiuslibet Eccleſiæ Medio-

dio-

diolanen.exercendas, Clericorum educationem, & inſtitutionem, Seminariorumque, & Collegiorum Piorum gubernationem ad miſſionis munus per Diœc. & in Rhetos fidei propagandæ cauſa rectè obeunda, ac ad omne charitatis, & miſericordiæ officium piè accuratèque exercendum, parati eſſe deberent, vigore facultatis, & licentiæ ſibi deſuper à felicis recordationis GREGORIO PP. XIII. prædeceſſore noſtro ipſi attributę erexerat, & inſtituerat, ac inter alia ſtatuta per eum pro felici ſtatu, & proſpera directione dictæ Congregationis de eadem licentia facta tria ediderat, & in illis inter cætera vo-
a 1.Cap. luerat, & ſtatuerat. [a] Quod nullus Oblatorũ prędictorum huiuſmodi voto deuinctus ſub quocunque pretextu poſſet ſeruitium Congregationis, & perpetuam obedientiam pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Mediolanen. voto ſimplici, vt præfertur promiſſam deſerere, & illa deſerta ad alienam Diœc. ſe
b 2.Cap. transferre. [b] Quodq; dicti Oblati habentes ſufficiens patrimonium, vel beneficium iuxta conſtitutionem dicti prædeceſſoris deſuper editam ad ſacros ordines ad titulũ menſæ dictæ Congregationis, non ordinaren-
c. 3.Cap. tur; [c] ac quod huiuſmodi Oblati aliquod beneficium Eccleſiaſticum, cui onus reſidentię annexum eſſet, minimè impetrare, vel recipere

pere

pere, nec ſimilia beneficia obtinentes illa reſignare, aut permutare poſſent, nonnullos verò ex gremio dictæ Congregationis à perpetua obedientia, & voto huiuſmodi, tum ab ipſa Congregatione, & Diœc. Mediolan. recedendo, tum beneficia acceptando, vel renunciando deflexiſſe, ex eoque non ſolum charitatem refrigeſcere cæpiſſe, ſed etiam periculum imminere, ne ſtatus dictæ Congregationis cum ingenti iactura miniſtrorum, ac operariorum dictæ Eccleſiæ Mediolan. damnum pateretur: ideo præmiſſis incommodis quantum in ſe eſt, pro paſtoralis officij ſui ſollicitudine opportunum aliquod remedium adhibere, ac progreſſiones aliorum adiuuare, & promoueri volens in viſitatione dictæ Congregationis per eum anno proxime præterito facta inter alia ſtatuit, & ordinauit. Quod ſi de cœtero aliqui Oblati duobus prioribus, ex tribus ſtatutis ſupradictis, ſine expreſſa Archiepiſcopi Mediol. licentia contrauenire præſumpſerint pęnam, ſuſpenſionis à diuinis incurrant eo ipſo, ac tam ab huiuſmodi pæna, quam à dicto voto obedientiæ ſolus Romanus Pontifex, ſeu Archiepiſcopus Mediolan. pro tempore exiſtens eos abſoluere poſſit. Quo verò ad tertium ſtatutum huiuſmodi, quod omnes, & ſingulę prouiſiones, reſignationes,

permutationes contra illius formam in eorum fauorem, ac per illos reſpectiuè impoſterum faciendæ, ac etiam quæcunque coadiutoriæ cum onere reſidentiæ etiam in fauorem eorundem Oblatorum emanaturæ, nullæ ſint ipſo iure niſi in litteris Apoſtolicis deſuper expediendis, quòd ipſæ præfatę Congregationi, ac prefato voto aſtricti ſunt, ſpecialis mentio facta, & eiuſdem Congregationis ſtatutis ſpecialiter, & expreſsè derogatum fuerit. Cum autem ſicut eadem petitio ſubiungebat, dicta tria ſtatuta ex iuſtis, & rationabilibus cauſis per dictum S. Carolum facta, & pro eorum obſeruatione, pœnarum huiuſmodi comminatio per ipsũ Federicum Cardinalem, & Præſulem neceſſariò addita eſſe dignoſcantur, proindeque dictus Prępoſitus plurimùm cupiat additionem, ſeu comminationem pœnarum huiuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſeruatione inuiolabiliter per nos, & Sedem Apoſtolicam de ipſius Federici Cardinalis conſenſu approbari, & confirmari. Quare pro parte dicti Præpoſiti nobis fuit humiliter ſupplicatum quatenus pænarum additioni, & comminationi huiuſmodi perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcere, aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica

digna-

dignaremur. Nos igitur qui perſonarum quarumlibet præſertim ſtudio piorum operum vacantium, votis libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis; ipſum Præpoſitum, ac præfatæ Congregationis ſingulares perſonas à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, nec nõ erectionis, & inſtitutionis dictæ Congregationis, ac ſcripturarum præfatarum, & inde ſequutorum quorumcumque tenores etiam veriores præſentibus pro expreſſis habentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuæ ex voto venerabilium fratrũ noſtrorum S. R. E. Cardinalium, decretorũ Concilij Tridentini interpretum per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus poenarum additionem, ſeu comminationem huiuſmodi auctoritate noſtra perpetuò approbes, & confirmes illique perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcias, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti, ac quoſuis aliàs etiam quantumuis ſubſtantiales defectus ſi qui deſuper quomodolibet

interuenerint, in eiſdem ſuppleas, dictaque tria ſtatuta ab omnibus, & ſingulis Presbyteris, & Clericis dictæ Congregationis (habita tamen ab eis illorum notitia) ſub pœnis præfatis perpetuò, & inuiolabiliter obſeruari, & adimpleri debere, ab illiſque nullo vnquam tempore, ſub quouis prætextu, colore, vel ingenio reſiliri, vel recedi poſſe, ſicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, ac eiuſdem S. Rom. Eccl. Cardinales etiam de latere Legatos, & Vicelegatos iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit irritum, & inane dicta auctoritate noſtra decernas; non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit, & in aliquo obſtent, dictæ Congregationis inſtitutione, & erectione, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem

per

per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret illis aliàs in ſuo robore permanentibus hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicę milleſimo ſexcēteſimo vigeſimo ſecundo, quinto Kal. Martij, Pontificatus noſtri anno tertio. Poſt quarum quidem litterarum præſentationem, & receptionem nobis vt præmittitur factam; Nos volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reuerenter exequi, vt tenemur; idcircò auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte, & aliàs omni meliori modo &c. prædictarum pænarum additionem, ſeu comminationem perpetuò approbamus, & confirmamus, illique perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti, ac quoſuis alios etiam quantumuis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerunt, in eiſdem ſupplemus, dictaque tria ſtatuta ab omnibus, & ſingulis Presbyteris, & Clericis dictæ Congregationis, habita illorum notitia, ſub pænis præfatis perpetuò, & inuiolabiliter

biliter

biliter obſeruari, & adimpleri debere mandamus, ab illiſque nullo vnquam tempore ſub quouis prætextu, colore, vel ingenio reſiliri, & recedi poſſe, ſicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores, ac eiuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Vicelegatos iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane, auctoritate Apoſtolica prefata decernimus non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & alijs; quæ idem fel. record. Gregorius P. XV. in præinſertis litteris voluit non obſtare. Quæ omnia, & ſingula, nec non prædictas litteras Apoſtolicas, & hanc noſtram declarationem, approbationem, confirmationem, & iuſſionẽ, & omnia, & ſingula in eis contenta vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis communiter, & diuiſim intimamus, inſinuamus, & notificamus, & ad veſtrum, & cuiuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes; voſque nihilominus, & veſtrũ quemlibet requirimus, & monemus, ac vobis, & veſtrũ cuilibet in virtute ſancte obediẽtiæ ſub prædictis pænis diſtrictè precipiendo mandamus quatenus predicta tria

ſta-

ſtatuta perpetuò, & inuiolabiliter obſeruetis, & adimpleatis. Quod ſi forte, quod abſit, ea nõ adimpleueritis, mãdatiſq; noſtris huiuſmodi, immo veriùs Apoſtolicis nõ parueritis; nos in vos omnes, & ſingulos ſupradictos, qui in præmiſſis culpabiles fuerint, dictarum pænarum ſententiam ex nunc prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc ferimus in his ſcriptis, & promulgamus. In quorum fidem pręſentes manu noſtra ſignatas, & per infraſcriptum Reu. D. Cancellarium noſtrum Archiepiſcopalem ſubſcriptas, ſigilloq; Archiepiſcopali S. Ambroſij munitas fieri iuſſimus. Dat. & Act. Mediolani in ædibus noſtris Archiepiſcopalibus anno à Natiuitate Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto indictione ſeptima die Sabbati trigeſimo menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Vrbani Octaui anno primo. Præſentibus Illuſt. & Adm. RR. DD. Alexandro Mazenta Archidiacono, & Hieronymo Septalio Pœnitentiario maiori Metropolitanæ noſtrę Eccleſię teſtibus idoneis ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis &c.

Federicus Card. Borromæus Archiepiſcopus Mediol.

M. Ant. Vic. Gen.

Ludouicus Barbauaria Can. Ord. & Cancell. Archiep.

MODVS

Et formula obeundi cum fructu Conſortia Oblatorum in Diæceſi, & alibi.

Iuſſu Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi

CARDINALIS ARCHIEPISCOPI edita.

Caput Primum. De fine, et ſcopo Oblatorum Conſortij.
2. Quid faciendũ Oblato pro ſuo ſpirituali progreſſu.
3. Quid faciendum ſit Oblato pro iuuandis populis.
4. Quæ officia præſtanda ab Oblato erga fratres Conſortij Infirmos, et defunctos.

De ſcopo Oblatorum Conſortij eiuſq. officialibus.

Caput Primum.

SAcerdotis Oblati ea in primis cura eſſe debet vt ſecum attentè ac piè meditetur quã ob cauſam, quemuè ob finem ſanctiſsimus parens, & auctor noſtræ Congregationis Carolus hæc Conſortia inſtituerit; hic enim præter Dei gloriam, & honorem, qui in illis potiſſimum ſpectandus eſt, nullus alius certè fuit quàm ſui ipſis ſpiritualis progreſſus, tum ſalus proximorum. Quapropter ex Conſortio ſegetem ac materiam hauri-

re debebit vt quotidie ſeipſum in ſtudio virtutum, deindc in ſalute, & auxilio proximorum impendat; qui enim ſibi ipſi bonus non eſt quomodo alijs bonus eſſe poterit? nec pro cura aliorum noſtramet negligenda eſt; alioquin quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

Cum verò magnus ſit prouentus, & lucrum, quod ex his Conſortijs ſperatur, quò frequentiora erunt, eò maior gloria ad Deum Opt. Max. & vberius ſpirituale beneficium ad ipſoſmet Oblatos, & ad populos deriuabit. Quapropter in ſingulis regionibus huius ampliſſimæ Diœceſis optimum erit ter aut quater quotannis hæc Conſortia, & conuentus obire ijs temporibus quæ opportuniora non tam ipſis Oblatis, quàm populis cenſebuntur, quò vberior, & copioſior inde fructuum ſeges colligatur. In quo illud animaduertetur, ne ſucceſſiuè in eodē loco duo fiant conſortia etiamſi duo Oblati ibi morentur, nec in locis contiguis, nec tempore meſſium cū populi impediti adeſſe non ita commodè poſſunt; id enim non ſolum proderit, vt ipſa Conſortiorū actio maiori in precio, atq; exiſtimatione habeatur, ſed etiam vt maiori commoditate hoc beneficio fruantur populi maximè ob confeſſiones, cum eo tempore quilibet Confeſſarium pro ſuo arbitratu eligere poſſit; ad id verò ſi fieri poſſit, deligetur præcipuè dies aliquis qui peculiari aliquo religionis cultu vel ex voto vel ex conſuetudine apud eos populos vbi Conſortia obeunda erunt, celebretur.

Tres Officiales ſingulis Conſortijs præſidebunt: Vnus nomine Præpoſiti; alter Præfecti ſpiritualis qui duo ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo eliguntur, & Cancellarius

rius

rius quià Præpoſito Conſortij deligitur.

Dabit operam Præpoſitus Generalis Congregationis vt ſingulis Conſortijs interſit, ac præſit; quam ob causã ita hæc Conſortia in tota Diœceſi ſic diuidentur, vt vnũquodq; Conſortium præſentia Præpoſiti Generalis frui poſsit; nec vnum alteri impedimento ſit; Præpoſiti autem Conſortij munus erit eum ſic opportunè in tẽpore admonere vt præſens adeſse poſsit cum eius præſentia in huiuſmodi functionis genere opportuna maximè ſit, ac neceſsaria.

Iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum Prępoſitus Generalis perſonalẽ obibit viſitationem eius Oblati in cuius domo habendum erit Conſortium, ac præterea inquiret quomodo cœteri Oblati in ſua quiſq; vocatione progrediatur.

Si aliquod impedimẽtũ occurret Prępoſito Generali quo minus actioni Conſortij intereſse poſsit curabit ſaltẽ aliquem ex Oblatis maturiorem, grauioremq; mittere, qui ante diem Conſortij ad locũ ſe transferat vbi habendum erit Conſortiũ, & cum eo vnà Prępoſitus Cõſortij, & Præfectus ſpiritualis adeſse curẽt, vt edoceri ſeorſim poſſint de ſtatu, & conditione eorum qui ad conſortiũ erunt conuenturi; ſi quid emendatu dignum in illis repererit, amanter corriget, ſuo exemplo, & ardenti cohortatione vnumquemq; ad ſpiritualem ſui progreſſum inflammare ſtudebit, & cãdidum illum, ſincerũq; affectum qui inter filios ab eadem matre genitos eſſe debet, erga illos oſtendet, & quomodo Congregationis regulæ obſeruentur, inquiret.

Cum Præpoſitus Generalis Conſortio non aderit Præpoſiti Conſortij munus erit hæc omnia ſupradicta accura-

tè exequi, curareq́; vt omnia tam in Eccleſia pro adiumento populi, quam intra priuatos parietes in domeſtico ipſorum Oblatorum cœtu ritè peragantur, conſtitutamq́; pragmaticæ in victu regulam curet exactè obſeruari; & qui eius limites exceſserint, mulctabit ſex aureis, qui ſtatim apud Præfectum ſpiritualem deponantur, vt in vſum pium prout Præpoſitus Generalis cenſuerit, impendantur. Quodſi in hac pragmatica talem adhuc Conſortij Præpoſitus exceſſum notaret, vt maiori remedio atq; auctoritate opus eſſe videretur, ſtatim id Præpoſito Generali denunciet, quò fratris emendationi opportunioribus remedijs poſſit prouideri.

Præpoſitus Conſortij primus Conſortium celebret in ædibus ſuis, tum cœteri iuxta antianitatis, vt vocant, gradum, donec vnuſquiſq; illud in ædibus ſuis obiuerit, tũ circulus à Præpoſito repetatur.

Præfecto ſpirituali hæc cura incumbet vt Conſortio meditationis puncta proponat, & fratres Conſortij in ijs quæ ad ſpiritualis vitæ perfectionem ſpectant, quantum fieri poteſt, iuuet; audienda nimirum illius confeſſione interrogando de ſalutaribus illius progreſſionibus in exercitio orationis mẽtalis, examine conſciẽtiæ, & earum virtutum ſtudio, quæ maximè in Oblato eluceſcere debent, & vbi ipſe videat non poſſe opportunam fratri opem ferre Præpoſitum Conſortij ante ipſum Conſortium cõmonefaciat, vt is tempore Conſortij manum pro ſalute fratris procuranda poſſit apponere.

Cancellarij porrò officium erit notare in libro Conſortia quæ fiant, locum in quo fient, numerum Oblatorum qui

qui interfuerint,& qui abſuerint, excuſationem illorũ abſentiæ,qui ſermones habuerint, quod argumentum tractauerint ; quot animarum Pęnitentiæ,& Euchariſtiæ Sacramenta in ipſo Conſortio ſumpſerint, & omnia demum quæ in illo proponentur,& decernentur, diligenter libro adſcribere.

Verum cùm Præpoſitus Generalis Conſortio non interfuerit pręter librum etiam in folio ſupradicta omnia diligenter adnotabit , illudq; nomine ſuo conſignatum Prępoſito Conſortij tradet,mittendum ad Prępoſitum Generalem , vt is videre poſſit quomodo tranſactum fuerit Conſortiũ. Poſtquã vero vnuſquisq; partes ſuas impleuerit antequam nouus Conſortiorum circulus repetatur , prędictum librum á ſe ſubſcriptum mittet ad Præpoſitum Generalem,vt in archiuio S. Sepulchri aſſeruetur.

De his quæ facienda ſunt Oblato ob ſpiritualem ſui progreſſum. Caput II.

CVM igitur horum Conſortiorum talis ſit finis ac ſcopus qui ſupra dictus eſt, magno ardore animi,& incenſo ſtudio ad ea Oblati conuenire debebunt , vt inde copioſiorem,vberioremq; fructus ſegetem ad animæ ſuę ſalutem referre poſsint.

Illud autem ardentius facient, quò maiori in pretio functionem hanc noſtræ Congregationis pręcipuam habebunt . Per magni ſanè refert vt Oblati hoc ardore animi , & incenſo ſtudio ſpiritualis ſui ipſius profectus ad hæc Conſortia conueniant, quippe hac veluti optima

ma pręparatione ac diſpoſitione viā ſibi munient ad id quod ſalutariter cupiunt, facilius à Deo impetrandum.

Hęc porrò cupiditas, & incenſum animi ſtudium in eò maximè ſpectabitur ſi promptè, & alacriter ad hęc Conſortia conueniet poſthabito omni alio negotio, contemptaq; itineris longitudine, vię difficultate, temporumq; incommoditate; qui enim ſerio, & efficaciter aliquid cupit nihil illi arduum, & laborioſum videtur, vt ſui deſiderij compos efficiatur. Animaduertendū tamen erit, vt iam diximus ne feſtis ac ſolemnibus diebus huiuſmodi habeantur Conſortia, ne Oblatis detur occaſio curæ Eccleſiarum ſuarum deſerendæ, nec etiā die feſto præcipuo loci illius in quo Conſortium obeūdum eſt. Eadem quoq; alacriter ſpectabitur ſi functionem quæ illi iniuncta fuerit, vt potè concionandi vel quid aliud muneris obeundi, quam accuratiſſimè poterit, exequi ſtudebit, quo ſcilicet maior in Deum gloria, & vberius ad populos adiumentum proueniat.

Qua mane Conſortium fiet collectam in Miſſa de Spiritu Sancto adiunget, vt ſcilicet donorum ſuorum copia actionem illam proſequi dignetur.

Attente libri lectionem audiet quæ eo die ad quamdiu refectionis tempus durabit, legetur, & requiſitus à Præpoſito quid ad ſpiritualem ſui vtilitatem collegerit ex ea lectione, nudè ac ſimpliciter explicabit.

Refectione abſoluta vbi in locum remotiorem omnes Oblati Conſortij ſeceſſerint, vel in eo ipſo loco, niſi ſit alius commodior, vbi refectionem ſumpſerint, priuata fiet Congregatio præmiſſa prius oratione de more ad implorandum diuinum auxilium á Præpoſito Conſortij ſi fortè abſit Præpoſitus Generalis: Tum Cancellarius

rius

rius nomina Oblatorum illius Conſortij leget adnotatis prius libro, & qui præſentes adfuerint, & qui abfuerint cum excuſatione illorum. Caput aliquod ſeu pars regularum Congregationis legetur, tum Prępoſitus à duobus vel tribus aliquid circa illarum intelligentiam, & obſeruationem exquiret, atq; eodem modo meditationis puncta conferentur.

In hac Congregatione ſincero charitatis affectu Confratres admonere debebit Præpoſitus ſi quid in illis dignũ repererit correctione vel reprehenſione; quod ſi talis eſſet culpa, quam publicè notam omnibus eſſe non expediret, hoc charitatis officio ſeorſim cum eo fungatur præſente tamen Patre ſpirituali. Frater autem ſic admonitus multa cum animi humilitate, ac modeſtia correctionem accipiet, & ex ea fructum percipere ſtudebit.

Eodem porrò mutuo charitatis ſinceritatisq; affectu ſe gerent cœteri omnes, animę ſuæ latebras omnes ac ſinus explicabunt, multaq; cum ſimplicitate ſuas ſpirituales neceſſitates exponent; paternas, fraternasq; admonitiones magna cum alacritate ac ſtudio illas exequendi ſuſcipient.

Dabit operam Præpoſitus vt ſinguli Oblati, et fratres ſui Conſortij quotannis ſpiritualibus exercitijs vacent, & generalem peccatorum ſuorum confeſsionem ſalutariter obeant iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum; quod ſi ad id commodam loci facultatem non habuerint ſciant domum Sancti Sepulchri fore illis ſemper apertam; dummodo ſeipſos diſtribuant tres aut quattuor alternis vicibus, et aliquem interim idoneum Sacerdotum curę animarum ſuarum pręficiant; cœte-

rùm in domo S. Sepulchri Pater ſpiritualis non deerit, qui promptè, & amanter eorum ſtudio ſatisfaciet.

Nec illud omittet Præpoſitus, vt in ſingulis Conſortijs breui aliqua cohortatione ad perfectam regularum Congregationis obſeruationem, ſalutareſq; vitæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ progreſſiones excitet, atque inflammet.

Si quid pro ſpirituali aliqua neceſſitate conſultandum occurret, in medium illud proponet Præpoſitus, vt omnes quidquid expedire cenſuerint, liberè exponant.

Spiritualis Præfecti erit breuiter, & ſuccinctè futuræ meditationis puncta proponere. Decernetur deinde locus & dies futuri conſortij admonitis ijs quibus erunt ſermones habendi qui tres eſſe debebunt maximè vbi maior populi frequentia propter oppidi amplitudinẽ eſſe ſolet. Vnus mane quo tempore numeroſior populus conuenire ſolet, duo verò à prandio; themata, & materiæ ſermonum habendorum eæ proponentur, quæ loci, vbi obeundum erit conſortium, neceſſitati opportuniores videbuntur, imbecilliores iungendo cũ melioribus, & in oppidis celebrioribus ij ſermonem facere iubeantur, qui magis concionandi facultate præſtant; verum ſermones ſemihoræ ſpatium non excedant, & vnuſquiſque partes ſuas alternis vicibus exequatur.

Cum proximum erit tempus obeundi Conſortij, Præpoſiti cura erit per litteras iterum omnes fratres de loco ac die Conſortio conſtitutis, commonere vt conuenire promptè, & opportunè poſſint.

Peracta Congregatione cui finis imponetur oratione ſolita in fine Congregationis omnes vnà in Eccleſiam ibunt

ibunt ad audiẽdos ſermones, qui habebuntur, nec alie num erit vbi commoditas adſit ad excitandam magis populorum pietatem aliquid muſici cantus adhibere; & ſi opus etiam fuerit cõfeſsiones audire, tres aut quatuor à Præpoſito deligentur, qui audiendis confeſsionibus eo tempore populorum ſtudio ſatisfaciant.

Quamuis porrò non exiguum ſit pœnitentiæ genus illis, qui vltrò ac ſponte negligunt ad hæc conſortia conuenire priuari tot ſpiritualibus bonis, quæ ex his ſpiritualibus congreſsibus percipi poſſunt; qua quidem negligentia oſtendunt ſe penitus ſpiritum, ac mentem veri Oblati exuiſſe, & terga ſuæ matri, quæ eſt Congregatio poſtquam ab ea benignè excepti votorum ſuorum compotes euaſerunt, ſciant etiam adhuc tam euidenti culpæ conſultum fuiſſe ſequenti decreto quod erga incorrigibiles executioni mandabitur.

Qui Conſortio intereſſe neglexerit actiua voce in nominando electo, qui vnà cum Præpoſito ad generalem congregationem conuenire ſolet, priuetur, tum ſi admonitus non reſipiſcat, Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Archiepiſcopo denuntietur.

Quid faciendum ſit Oblato pro ſalute animarum promouenda, iuuandiſq; populis.

Caput tertium.

IAm verò cum apertè pateat quanta ſoleat eſſe populi qui ad hæc conſortia confluit, multitudo ac fre-

quentia inuitante illos, & alliciente non modò Indulgentiæ Plenariæ theſauro, quam commoditate deponendi apud multos Confeſſarios peccatorum ſuorum ſarcinas; cumq; ingens ſit fructus, qui ex his conſortijs ad Dei gloriam ſolet exiſtere; Sacerdos Oblatus in cuius ædibus indictum fuerit conſortium id ſingularis beneficij loco reputare debebit, quod ſibi, & gregi ſuo fiat; quapropter in eam curam incumbet, vt quæ ad ipſum conſortium ritè ac fructuoſe peragendum neceſſaria eſſe præuiderit, ſedulò ac diligenter comparet. Cœteri veró hoc ſtudio, & cupiditate iuuandarum animarum incenſi quò tempeſtiuius ac maturius ad ipſum conſortium conuenient, eò magis operam ſuam, & laborem, ad ſalutem animarum impendere poterunt, idq; eo ardentius facient, ſi hoc apud animum ſuum ſtatuerint, quam alacritatem, et diligentiam ſinguli in procuranda, & promouenda ſalute animarum ſuorum fratrum collocauerint, eandem ſibi viciſsim in ſuarum adiumentum reddendam fore, præter etiam proprium lucrum, quod quiſq; ex hoc mutuo charitatis officio percipiet.

Octo dies ſaltem ante Conſortij conſtitutam diem, Plenariæ Indulgentiæ exemplar ad proximos ſibi curatores animarum mittet, vt eam ſuis populis enuntient, hortenturq; illos, ne tam præclaram occaſionem ſibi diuinitus miſſam sinant è manibus fruſtra elabi, dentq; in primis operam, vt animum ſuum à peccatorum ſuorum ſordibus ritè expurgent, & liberè, ac nudè ſuos morbos, & vulnera patefaciant Confeſsarijs, á quibus non agnoſcuntur. Idem ille cum ſuo populo præſtabit.

Quinq;

Quinq, vel ſex Confeſſionalia prout multitudo, & frequentia populi tulerit ad fæminarum confeſsiones audiendas conſtruenda curabit, quę iuxta formam, præſcriptumq; ritè ſint accommodata, benèq; firma, ac ſtabilia.

Tres aut quatuor Sacerdotes Oblatos viciniores inuitabit, qui biduo, vel triduo ante Conſortium confeſſionibus audiendis vacent, vt dies conſortij pro confeſsionibus populi confluentis excipiendis expeditior eſſe poſsit; quod charitatis, & officij genus mutuum inter ipſos Oblatos eſſe debebit. Præpoſitus Conſortij diē ipſum ante veniet, vt ſuam operam maximè opportunam ac neceſſariam pro facultate caſuum reſeruatorum audiendis confeſſionibus poſſit impendere.

Nonnulla etiam ſedilia pro excipiendis hominum confeſſionibus certis locis debito interuallo inter ſe remotis, & vbi minima ſit tumultus vel ſtrepitus occaſio collocabit.

Aderit quoq; Sacerdos propriè delectus ad Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrandum, & Clericus cum intortitiis accenſis, & alijs, quę ad hanc actionem ritè ac decenter obeundam requiruntur; cureturq; vt mares à feminis ſeorſim ad ſacram menſam accedant, & alia obſeruentur, quæ pro recta ac decenti in Eccleſiis conuerſatione præſcripta ſunt; quem ad finem aliquæ perſonæ maturæ ac pię deligentur, qui hanc curam ſuſcipiant, vt omnia quantum fieri poſsit, ordinatim peragantur, nec vlla ſcandali occaſio oriatur.

Abſoluto Conſortio vnuſquiſq; domum ſuam ſe recipiat, ne Oblati ſumptibus grauentur; niſi forte ea eſſet pœnitentium multitudo, vt neceſſarium iudicaretur ali-

quot ibi ſuperſedere, quo ipſorum pœnitentium ſtudio ac neceſsitati ſatisfieret; ad quod Præpoſitis Conſortij aliquos deliget ex vicinioribus, qui ibi morentur dummodo eadem omninò diſciplina, & pragmaticę ratio in victu ſeruetur, vt ſcilicet quò minor fuerit ſumptus, eò maior ſit commoditas in ſalutem animarum incumbendi.

Semper, & vbiq; Sacerdos Oblatus bono ſui exemplo prælucere debet, nec ſe degenerem filium á tot Sanctiſsimis Archiepiſcopis in hac præſertim functione oſtendere; id autem maximè faciet ſi decenti habitu, & compoſitione totius corporis modeſta ad ipſum Conſortium conuenire curabit, & ita in cœteris actionibus modeſtiam animi grauitatemq; præſeferat, vt cœteris Eccleſiaſticis, ac populis bonę ædificationi eſſe poſſit.

Quam etiam ob cauſam nullus ſecum famulum propriũ ducet, qui ſibi inſeruiat, ſed eius miniſterio, & famulatu contentus erit, qui ab Oblato in cuius ędibus ſit conſortium deputabitur; id enim non tam ad tollendam ipſi Oblato maioris ſumptus occaſionem proderit, quam ad Sanctę humilitatis, & modeſtiæ ſignificationem exhibendam; quas quidem virtutes noſtræ Congregationis filii enixè amplecti debent ſicuti etiam paſsim in noſtris conſtitutionibus à Sanctiſs. Parente Carolo in primis præcipiuntur, & commendantur.

Quæ

Quæ officia præſtanda ſint ab Oblatis Conſortij erga infirmos fratres, & defunctos.

Caput quartum.

CVm primùm quis Oblatus Conſortij in morbum inciderit, de eo ſtatim proximiorem fratrem commonefaciet; qui quidem ad eum inuiſendum toto animi affectu accurret, & erga illum ea charitatis officia tam ſpiritualia, quàm corporalia præſtare ſtudebit, quæ mutua inter filios eiuſdē matris beneuolentia, ſynceritatisq; affectus poſtulat. Si verò morbus ingraueſcat, & periculoſior fiat, commoneri debebūt Prępoſitus Generalis Sancti Sepulchri, nec non Præpoſitus Conſortij & Præfectus ſpiritualis, qui pro ſuo ſtudio & charitate ad infirmum conſolandum venient, eumq; in extremo illo periculo iuuandum, vt ſi á Deo fratrem vocari contigerit, ſancta, & exemplari morte ad ædificationem populorum diem vltimum obire poſſit. Hoc autem omnino ad praxim reuocandum eſt, ſiquidem hoc mutuum charitatis vinculum, & colligatio quæ inter Oblatos debet eſſe, quantam vim habeat, in hoc potiſſimum vitæ exitu ſpectari debet.

Vbi ex hac vita migrauerit Oblatus, ſtatim de illius obitu certior fiet Præpoſitus Generalis, vt ſtatim cæteri Oblati admoneri poſſint de officijs, quæ erga defunctum fratrem præſtare debebunt, inter quæ maximum ac præcipuum

puum eſt Miſſæ ſacrificium à ſingulis pro anima defuncti fratris perſoluendum. Id autem fideliter, & exactè præſtabunt, hoc apud animum ſuum reputantes ſibi quoq; aliquando moriendum eſſe, & quam charitatem erga alios adhibuerint, erga ſe quoq; adhibendam fore.

Præter hæc in ſingulis quæ fient conſortijs, vbi Miſſam celebrauerit Præpoſitus Conſortij, ſolemnis fiet commemoratio defunctorum Oblatorum Conſortij, idq; duobus Præpoſito aſſiſtentibus pulla veſte indutis in medio Eccleſiæ cum ſtrato nigro, & alijs ad ſimilem functionem requiſitis. Adiungetur quoq; Oratio pro animabus defunctorum illius oppidi in quo Conſortium habebitur.

Quare in ſingulis Conſortijs erit Oblatus quaſi Magiſter cæremoniarum cuius cura ſit, vt Miſſæ præcipuè ordinatim mane celebrentur habita ratione commoditatis populorum, cœteraq; ritè ac decorè peragantur.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 059910684